ACTA UNIVERSITATIS LUNDENSIS.

LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.


TOM. XXVII.

1890—91.

LUND, 1890—91.

BERLINGSKA BOKTRYCKERI- OCH STILGJUTERI-AKTIEBOLAGET.

DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.



LUNDS UNIVERSITETS ÅRS-SKRIFT.

TOM. XXVII.

FÖR LÄSÅRET 1890—91.


I.

AFDELNINGEN FÖR FILOSOFI, SPRÅKVETENSKAP OCH HISTORIA.

LUND, 1890—91.

BERLINGSKA BOKTRYCKERI- OCH STILGJUTERI-AKTIEBOLAGET.

DISTRIBUERAS GENOM C. W. K. GLEERUPS FÖRLAGSBOKHANDEL I LUND.



Innehåll:

DE IANO SUMMO ROMANORUM DEO.

SCRIPSIT

SV. LINDE.

LUNDÆ MDCCCXCI.
TYPIS BERLINGIANIS.



De Iano summo Romanorum deo.

Scripsit

S. LINDE.

Quanta est varietas rerum humanarum mutuo crescentium et decrescentium, tanta est etiam varietas ipsorum deorum, ut de deis romanis animadvertit Mommsen (Röm. Gesch. I,[8] p. 159). Ac summi quidem dei omnium fere gentium huic vicissitudini maxime fuerunt subiecti: nam neque Iuppiter princeps deorum romanorum semper fuit neque *Ζεὺς* graecorum, quod satis ostendunt testimonia scriptorum antiquorum, nam et fabulae ipsae et poetarum de origine deorum narrationes idem prorsus confirmant. Itaque in theogonia Hesiodi (v. 138 et 159) *Οὐρανὸς* et *Κρόνος,* qui unus erat Titanum, munere dei potentissimi ex ordine fungentes inducuntur. Horum enim uterque antea, eundem tenuit locum, quem postero tempore vi assumpsit *Ζεύς*. Immo vero *Ζεὺς*, *θεῶν πατὴρ ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν* (ib. 457), ipse est *Κρονίδης, ὑπερμενὴς Κροίων* (v. 535) vel *ὁ παγκρατὴσ Κρόνου παῖσ* (Soph. Phil. 680). Neque aliter rem exposuit Apollodorus, cuius Bibliotheca ab his incipit verbis: *Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστησε κόσμου.* Verissime igitur, opinor, apud Aeschylum (Prom. v. 957) Prometheus de duobus deorum tyrannis regno expulsis (*δισσοὺς τυράννους ἐκπεσόντας ᾐσθόμην*) nuntium Iovis monet. Nam cur *Οὐρανὸς* et *Γαῖα* quasi imagines adumbratae, ut voluit Welcker (Gr. Götterl. I, p. 265), habeantur, vix ulla est causa iusta. Tria enim illa imperia, quae *Οὐρανός, Κρόνος, Ζεὺς* alius post alium tenebant, plane ficta et commenticia esse non possunt, sed veterrima narratione ore propagata sine dubio nituntur

(cfr Decharme, Mythol. de la Grèce ant. p. 8). "Nam vetus haec opinio Graeciam opplevit, exsectum Caelum a filio Saturno, vinctum autem Saturnum ipsum a filio Iove", ut est apud Ciceronem (N. D. II § 63). Ceterum *Οὐρανός* et *Κρόνοσ* ad proethnicam aetatem pertinere videntur, quam ob rem etiam horridioris vetustatis imaginem reddunt. A Prellero (Gr. Myth. I[2] p. 41) *Κρόνος* et *Ῥέα* quasi novae formae Coeli et Terrae habentur. *Τιτὰν,* unde *Τιτᾶνασ* nominari est necesse, a Mayero (Giganten u. Tit. p. 72) deus esse a Crono disiunctus existimatur, potius vero *Τιτὰν* alterum tantummodo nomen eiusdem dei est. Ab Hesiodo vero paullo differt Plato, qui (Tim. 40 e) tria deorum genera ante Iovem (*Δία*) statuit. Praeterea non est, quod valde miremur de deo antiquissimo, qui est *Οὐρανος,* nihil fere praeter nomen esse notum, praesertim cum de temporibus illis antiquissimis haud ita multa norimus. *Κρόνος* vero, qui multo inferioris erat aetatis quique ab Homero magnus (*μέγας*) appellatur (Il. 5, 721), sua ipsius habebat in Graecia sacra, quae *Κρόνια* vocabantur et a Graecis multis locis republica salva celebrari solebant (Preller, Gr. Myth. [2] p. 44[3]).

At non solum apud Graecos haec deorum mutatio cernitur, sed etiam apud unamquamque fere gentem indogermanicam eadem vicissitudinis ratio valuit. Quid? quod, Indos quoque, si carmina vedica perscrutari volemus, tres saltem deos summos coluisse videbimus, nam et *Dyâus* et *Varuna* et *Indra* (cfr Ludwig, Rigveda 3, 310 sq.) iisdem summi dei attributis exornantur — quod quidem vicissitudine imperi sola explicari potest. Nam "*Henotheismus*", qualis a M. Müllero (Essays I 25, alibi) proponitur, nullo modo defendi ferrive potest sententiamque illam Whitney etiam infirmavit et reiecit, nam iisdem temporibus laudibus iisdem celebrari dei diversi cogitari vix possunt, at tamen temporibus aliis aliis deis vicissim pro summis habitis iidem fere honores facillime attribui potuerunt. Neque vero apud Persas, quorum religio philosophiae quandam artem redolet, plurium deorum imperi vestigia plane desunt, siquidem attentius rem consideremus. Celtae quoque plures deos summo honore colebant (confer librum meum, qui inscribitur "Indogermanernas högste gud" p. 79). A Germanis *Tyr*, *Odin*, *Thor* honore principis dei in vicem sunt affecti. Praeterea ut a ceteris gentibus indogermanicis, ita etiam a Slavis et Lithuaniis historica quae dicitur aetate deus tonitrualis (*Perunŭ* et *Perkúnas*) princeps est habitus, cui tamen alios deos aetate antecessisse satis cognitum habemus, exempli gratia *Svarog* et *Svarožic* sunt nominandi (vid. librum meum p. 91). Quae cum ita sint, minime

est mirum apud italicas quoque gentes alterum deum post alterum rerum esse potitum: quare Iano, Saturno *), Iovi principis dei honor vicissim est datus. Nam ut variae et mutabiles sunt omnes res humanae, ita nullius fere populi religio in perpetuum immutata remansit. — Suos quaeque religio reformatores habuit, notos vel ignotos. Potentissimum enim deum constituere praepotens gens vel sacerdotum ordo semel et iterum sine dubio contendit, præsertim cum deinceps potentissimi dei praevaleret sacerdotium. Atqui deos plane novos numquam instituerunt reformatores illi remotissimae antiquitatis, alteri deo alterum nomine solo mutato substituentes. Nam nomina illa deorum principum omnia fere idem (caelum) significare videntur: quam ob rem recte, credo, Schrader (Sprachvergl- u. Urg. p. 432 sq.) de hac re egit, dicens: "Unzählige Beiwörter mag schon die staunende Bewunderung der Urzeit, *vielleicht verschiedene in verschiedenen Teilen der Urheimat*, dem strahlenden Himmelsgott beigelegt haben".

Quamquam vestigia pleraque veteris religionis naturalis Romanorum valde obscurata et nonnumquam plane exstincta videntur, cum praesertim Romani contemplationi subtiliori rerum divinarum se totos numquam dederunt, aliqua tamen ex ipsis ruinis depromi posse speramus. Ac cum universas antiquissimarum gentium religiones in veneratione et cultu naturae rerumve naturalium positas fuisse comparativa, quam vocant, mythologia satis doceat, aliter de deis Romanorum non esse statuendum pro certo habemus. Quare consideratis nominibus, cognominibus, attributis non minus quam fabulis, usu sacrorum, caerimoniis, institutis sacris primam vim ac naturam deorum Romanorum — maximeque Iani diiudicari posse arbitramur.

*) Cfr. Macrob. Saturn. I, 7, 14: *In hoc Saturni cultu, quem deorum principem dicitis* cfr. § 13 et 21 ib.

De prima vi atque natura Iani dei ut de origine ipsius nominis multae et diversae sunt prolatae sententiae. Ac cum dei cuiusque naturam ac vim iam nomine indito magnopere admodum declarari et illustrari consentaneum sit, primum de ipso nomine Iani fiat quaestio. Iam vero scriptores antiqui, quibus tamen etymologicis in rebus auctoritas adeo magna non est tribuenda, in nomine illo enarrando contenderunt et elaborarunt. Inter eiusmodi interpretationes, quae sine ulla dubitatione in numero incertarum et inanium sunt numerandae, commemorem interpretationem illam, quae est apud Festum p. 52 (ed. Muell.) s. v. *Chaos*, ubi mirum in modum Ianus quasi *Hianus* nominari ab hiando dicitur. Tum vero Ciceronis veriloqvium — quod quibusdam placuit — est nominandum. Hic quidem Iani nomen ab *eundo* esse ductum putat (N. D. II, c 27 § 67). Sed quanti Cicero etymologus habendus sit perspicere licet, si consideramus reliqua deorum nomina ab eodem (ib. c. 25, 26) enarrata: nam non magis est credendum Ciceroni, dicenti Ianum ab eundo nominatum esse quam Venerem a *veniendo: "quæ autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt"* (N. D. II § 69). — *"Iuppiter vero*, inquit, *est iuvans pater*. Iunonem quoque a *iuvando* nominatam et Neptunum a *nando* credit. *"Mater autem est a gerendis frugibus Ceres tamquam Geres. — — Iam qui magna verteret Mavors: Minerva autem, quae vel minueret vel minaretur"*.

Re vera autem Iani nominis forma, si ab eundo esset ductum, ad similitudinem formarum, quae sunt *euntis*, *eundo*, *eāmus*, veri similiter esset redacta et *Eanus* sonuisset (cfr Corssen, Beitr. zur It. Sprachk. p. 352) — quod quidem Cornifici verba (Macrob. Saturn. I, 11): *Cicero non Ianum sed Eanum *), nominat ab eundo* sibi velle videntur, ut pronominalis quoque radix *i* formas *e-orum*, *e-arum* cet. praebet. Sed iam per se nomen "iens" significans non satis dignum est maiestati dei illius summae. Quod vero idem magis etiam cadit

*) Sed plane ficta est forma ista, ut iam vidit Pott (Wzwb. I, 965 — cfr. Corss. Beitr. z. It. Spr. p. 352 ann.

in sententiam eorum qui nomen dei cum nomine appellativo *iani* conferunt et idem esse declarant, cuius vocis etymon ambagibus omissis referre licet ad radicem verbalem *i*, quae per figuras *ei*, *i*, *iā* (cfr Brugmann, Morph. Unters. I p. 3 sq.) variat, ut pronominalis quoque radix *i* per *ei*, *i*, *ia* — cfr sanscr. yas pron. rel. vel potius determinativum — quam in latino adverbio *iam* > *ia-sme, ut *tam* > *ta-sme formato (vid. Stoltz, lat. gramm. [2] p. 346 sq.), habes. Nam stirps *iā* l. *i-ā* per multas linguas indogermanicas percrebuit, ut his vocibus cernitur: scr. yā-ti it, yāna incessus, currus, lat. iā-nus, iānua, lit. jóju cet. (cfr Brugm. l. c., G. Meyer gr. gr. p. 372, Johansson deriv. verb. p. 120, Leo Meyer vgl. gramm. [2] p. 159). Nonnulli vero nomen Iani dei, quod Brugmannus (l. c.) uncis inclusit idem atque nomen appellativum iani esse putarunt.

Quae tamen quaestio non adeo difficilis est diiudicatu, ridicula potius esse videtur. Nam deum, quem summum fuisse multis causis probare licet, e re adeo vili atque vulgari quam ianua nomen duxisse plane est incredibile. At contra aeque mirum esse videtur rem adeo vilem atque vulgarem, qualis est *ianus* vel *ianua*, a nomine dei summi esse appellatam. Iam vero hac de causa valde dubia est ista opinio, quae ex etymologia falsa seu populari, quam vocant, nata est; sed hominibus posteriorum aetatum, qui de origine et propria dei vi nihil fere sentirent, tribuenda est talis nominum permutatio. Nam eiusmodi in errorem persimiles voces, etsi origini dispares, imperitos quasi necessitate saepissime duxerunt — cuius saltem rei exemplis mythologia, quae dicitur, abundat redundatque.

Ita quidem, ut exempla afferam, Graecorum deus, qui est *Κρόνος*, falsa etymologia deus temporis habebatur. Stoici enim, ut apud Ciceronem est (N. D. II c. 25): *Saturnum — eum esse voluerunt, qui cursum et conversionem spatiorum ac temporum contineret, qui deus graece id ipsum nomen habet: Κρόνος enim dicitur; qui est idem χρόνος, id est spatium temporis: Saturnus autem est appellatus, quod saturaretur annis: ex se enim natos comesse fingitur solitus, quia consumit aetas temporum spatia, annisque praeteritis insaturabilitur expletur*": — Eodem fere modo *Ἑρμῆς* a Graecis deus eloquentiae factus est, ideo quod notiones, quae sunt *ἑρμηνεὺς* et *ἑρμηνεύειν*, cum ipso nomine dei cohaerere falso putabant *).

---

*) Cfr Plat Crat. 407 e: *ἔοικε περὶ λόγον τι εἶναι ὁ Ἑρμῆς, καὶ τὸ ἑρμηνέα εἶναι καὶ τὸ ἄγγελον καὶ τὸ κλοπικόν τε καὶ τὸ ἀπατηλὸν ἐν λόγοις κτλ.*

His consideratis haud ita mirum videri debet Romanos nomen Iani dei cum nomine appellativo *iani*, cum plane consimiles essent voces, confudisse. Ac cum origine obscurum esset nomen dei, vocabula vero, quae sunt *ianus*, *ianua*, *ianitor* cet., omnibus notissima atque aperta, haec ad illud declarandum pertinuisse, necesse est. Itaque Cicero nomen dei illius ab *eundo* ductum esse putavit, ut ad significationem vocum *iani* et *ianuae* *) conveniret, quas tamen a deo nominatas perperam iudicat: "ex quo transitiones perviae *iani* foresque in liminibus profanarum aedium ianuae nominantur", quamquam propemodum apparet, illum significatione nominum appellativorum cognita ita statuisse. Eodem fere modo vel falsae etymologiae vi factum esse videtur, ut Ianus posteriore aetate omnibus ianuis et viis praeesse crederetur.

Tantum enim in mythologia falsa, quam vocant, etymologia valuit, nam cum significationem et originem dei nominis oblivio obruisset, *ianus* et *ianua*, non adeo dissimilia verba, eodem pertinere credebantur. Quam ob rem de falsa etymologia multo verius id dici potest, quod Cicero de physica (i. e. Stoicorum) ratione dicit (N. D. II c. 27 § 69): "*quae res genuit falsas opiniones erroresque turbulentos et superstitiones paene aniles*".

Quid sibi voluerint *iani* apertis verbis docet Cicero: *transitiones*, inquit, *perviae iani nominantur*. Notissimi Romae iani tres erant transitus pervii et tecti vel arcus, per quos in forum porticibus tabernisque clausum **) introitus daretur. Qui iani iidem esse videntur, quos Horatius *summum*, *imum* ***) (Ep. I, 1, 53), *medium* †) (Sat. II, 3, 19) appellat. Posteriore saltem aetate eiusmodi iani vel arcus per omnes urbis regiones exstructi erant teste Suetonio

---

*) Neque aliter Cicero de ratione, quae inter vocabula Veneris et venustatis intercedat, judicat (N. D. II, c. 27 § 69): "*Quae autem dea ad res omnes veniret, Venerem nostri nominaverunt, atque ex ea potius venustas, quam Venus ex venustate*". — Ac re vera compositionis membra compositis ipsis sunt priora habenda. *Venus* enim proprie appellativum nomen est eadem origine atque *ven-ia*, *ven-us-tus*, *ven-us-tas*. Ac quis est, quin videat cognata verba, quae sunt *venustas*, *venustus*, multum valuisse ad vim Veneris, pulchritudinis deae, constituendam et servandam.

**) Quam rem loco Liviano (41, 27) comprobare volo, ubi etsi non de Roma attamen de urbe ad imaginem Romae composita agitur: *Fulvius locavit forum porticibus tabernisque claudendum et ianos tres faciendos*.

***) Ianus *summus* ab *imo* idem est atque totum forum vel totius fori mercatores. Praeterea confer edd. Schmiedi, Ritteri, Kiesslingi.

(† Scholiasta (Acro) ad h. l. annotat: Ianus medius locus dictus prope basilicam Pauli.

(Dom. 13), sed iam temporibus antiquissimis porta Carmentalis duos transitus laterales habuit, qui iani sunt nominati, nam a Livio (II, 39) Fabii *dextro iano* portae Carmentalis (a Chr. n. 479) profecti esse dicuntur. Iani vero illi per omnes urbis regiones dispersi ab Ovidio (Fast. I, 257) opponuntur iano uni i. e. aediculae Iani, ubi sacratus stabat Ianus deus vel statua Iani:

Cum tot sint iani cur stas sacratus in uno,
hic ubi iuncta foris templa duobus habes?

Profanos igitur ianos a sacrato hic discernit poeta. At nihil tamen certi ad originem propriamve vim vocis appellatae statuendam scriptores illi antiqui praebuerunt, nam nomen appellativum iani et nomen dei plerumque confuderunt idemque esse putarunt. Ac quamquam plane est manifestum illos sola comparatione vocum, quae sunt *ianua* et *ianus*, quarumque nota erat vis, nominis dei, quod per se iis prorsus obscurum fuit, originem et vim statuisse, dei tamen nomen prius existimarunt, ut ex dictis Ciceronis et de Iano et de Venere (N. D. II § 67 et 69) elucet. Dispari vero aetate esse voces *Iani* et *iani* Zander (Rel. carm. Sal. p. 41) demonstrare conatus, rem ad ipsas litteras latinas retulit, sed vereor, ne hac via res diiudicari possit, nam etiamsi non occurrat vox illa iani apud antiquiores scriptores quam Ciceronem et Livium, iam per se apparet vocem esse antiquiorem notionemque ipsam non ab iis esse inventam. Livius enim ianum nominans (II, 49) de re et eventu satis antiquo (anni 479 a. Chr. n.) mentionem facit. Praeterea cum *ianitos* in carmine Saliari fuerit (Varro l. l. VII, 27), iani vocem illis temporibus antiquissimis in usu fuisse satis apparet, cum eadem debeat esse inter ianum et ianitorem ratio atque inter portum et portitorem. — Quaestio vero proposita ratione sola mythologiae comparativae, quam vocant, solvi posse videtur.

Ac cum mythologia neminem deorum superiorum imaginem esse rerum vilium, nedum rerum humana manu factarum doceat, sed omnes fere caeli vel caelestium rerum speciem prae se ferre, iam ab initio suspicari licet eiusmodi etiam fuisse naturam Iani dei. His convenienter originationem Iani nominis iam antiqui scriptores vere, opinor, augurati sunt. Nam quoniam apud Macrobium (Saturn. I, 7, 8) legimus: *pronuntiavit Nigidius Apollinem Ianum esse Dianamque Ianam*, sumenda est pro Iano forma vetustior vel plenior *Dianus*, ut haec sit ratio: *Ianus: Dianus = Iana: Diana*. Quod si ita est, nomen Iani ad eandem radicem, late patentem *(div)*, quae in nominibus complurium deo-

rum superiorum inest, convenientissime referre licet. Nam vulgo huc referunt nomina Iovis (> Diovis > *Dieu-és), Iunonis *), Dianae (cfr *Διώνη* > *Διϝ-ώνη*). Quae quidem radix in vocabulis, quae caelum significant, inest: *dyâus*, gr. *εὐδία* caelum serenum, lat. dies **), dium l. divum (sub dio l. divo), gr. *Ζεύς, Διός,* immo vero *εὐδιᾱνος* nobis occurrit (Pind. Olymp. IV, 146), cuius formae ad nominativum *εὐδίᾱ* relatae fingendi ratio cum *Diano* Latinorum plane convenit. Ac si cum Corsseno (Beitr. z. It. Sprachk. p. 357) femininam desideres formam, ad quam applicari possit *Dianus*, dia > *divā (di-a Camilla, dea Dia) commemoranda est, nam stirpibus in ā exeuntibus suffixum illud *-anus* primitus est tribuendum: exempla sunto *silvanus* (silva), *arcanus* (arca), *Romanus* (Roma), sed postea etiam aliis se applicuit stirpibus idem suffixum, ut ostendunt formae quales sunt urbānus, humānus, oppidānus cet. (cfr Brugm. Grundr. II p. 137 et Henry, gramm. comp. § 158). Ad eandem radicem (*div*) ac proxime ad substantivum *dia* (caelum) referendum est adiectivum *Dialis*, cuius conformatio et significatio nonnihil cum *Diano* consentit. Ianus igitur (> *Diuānus > *Dianus) mihi primitus idem sibi velle videtur atque *ad caelum pertinens* vel *caelestis*.

Dupplex illa forma (Diana et Iana), si sonorum vicissitudinem respicis, non solum certo illo exemplo *Iovis > Diovis* probatur, sed etiam alio inscriptionum exemplo firmatur, scilicet Iuturna, quae etiam Diuturna nominatur (vid. Corss. Ausspr. [2] I p. 365 — Beitr. z. It. Sprachk. p. 357 — Stolz, lat. gram. [2] p. 302). Quae igitur vox ad radicem appellatam (*diu*) etiam pertinere videtur. Dea autem illa, Diuturna vel Iuturna, uxor Iani perhibetur fuisse — quod cognationem nominum mihi etiam confirmare videtur.

Quod Roscher (Lex. myth. II p. 48) dixit vicissitudinem Ianae et Dianae male esse comprobatam, non intelligo, nescio enim cur auctoritas Macrobi hac quidem in re in suspicionem sit vocanda apertis verbis Dianam esse Ianam af-

---

*) Ita etiam statuerunt Bréal et Bailly, Dict. etym. lat. s. v. *deus* p. 62, Iidem formam *Iuno* ad **Diouna* suffixo *on* auctam referunt. Quod si ita est, cognata sunt nomina *Iovis* et *Iunonis*, quae Danielsson (Gramm. u. etym. Stud. I p. 49) ad radicem *aiu* relata vult. Attamen non minor restat difficultas formas interpretandi quam si *div* radicem statuamus. Praeterea notio universalis ('der, die Ewige, Junge') vix convenit in homines ultimae memoriae. Nam haec non est species deorum antiquissimorum, quae nihil concreti habeat, nihil solidi, nihil expressi.

**) Dies *caelum* etiam significat, ex gr. Lucan. Phars. VII, 189: *sub quocumque die,* — Val. Flacc. Argon. I, 845: *totumque per annum durat aprica dies,* ut e contrario sanscrita vox, quae est *dyâus, diem* etiam significat.

firmantis (Saturn. I, 9, 8). Comprobatur vero altera forma etiam loco quodam Varronis (r. r. I, 37, 3): *Numquam rure — audisti Ianam (codd. Lanam) et crescentem et contra senescentem?* Hic Ianam esse lunam manifestum est etiam glossemate codicum *lunam* neglecto. Dianam vero antiquos aliquando pro luna habuisse testes sunt Varro (l. l, V, 68) et Cicero (N. D. II § 68): *Dianam autem et Lunam eandem esse putant.* Sed etiam a Tertulliano (ad nat. II, 15) commemoratur Iana (codd. Lana) dea, ubi "arquis diva" esse dicitur atque simul cum Iano patre, "arcuum deo" (secundum cod. γ), nominatur. Quo igitur loco aliquatenus mythologica cernitur cognatio Iani et Ianae, quam Roscher (l. c.) desiderat.

Praeterea est commemorandum nos de prima vi deae Dianae vel Ianae, nam hanc quoque formam appellatis testimoniis satis probatam iudico, nihil fere cognoscere, posterioris vero aetatis homines eam cum luna confudisse arbitror. Nam mihi paene persuasum est et Diam et Dianam vel Ianam et Diuturnam vel Iuturnam varia tantummodo esse nomina unius eiusdemque deae summae et quidem caelestis. Ac si temporum progressu vi prima oblivione obruta dea illa pro luna (Cic. N. D. II § 68) habita est, idem fere Iano accidit, qui pro sole habebatur philosophorum secta quadam impellente. Nam deorum quoque vim et imperium minui posse et angustioribus terminis circumscribi, mythologia, quam comparativam vocant, exemplis satis multis docet *).

Si his ita constitutis coniunctio manifesta (Roscher l. c.) — si modo est manifesta — quae inter *Ianum* et *ianum* vel *ianuam* intercedat, conscinditur, minime est dolendum, sed ob maiestatem dei summi auctam vel maxime gaudendum, nam quod Arnobius (adv. Nat. III, 29) de iis, dicit qui tempus deum esse putarent — id multo verius de iis dici potest, qui Ianum ab iano vel ob custodiam ianuarum esse nominatum putent: *quis est enim tam demens, qui ianuam esse dicat deum?*

Atque ut apud Graecos *Ἥρα* non est antiquissima omnium dea et prima *Διὸσ* uxor sed *Διώνη* **), quam *Ἥρα*, dea Aeolum, e sede summa removit, ita etiam apud Romanos unam eandemque deam semper sedem summam summumque

---

*) Cfr librum meum: Indog. h. g. p. 95 sq.

**) Sic enim res in Diomedia (Il V) narratur – vid. H. E. Meyer, Indog. Myth. I, p. 131 [1]), 193; II, 81, 271. Ac revera *Διώνη* et *Ζεὺς* in templo illo dodonaeo antiquissimo simul colebantur secundum schol. hom ad γ (cfr Mayer, Gig. u. Tit. p. 83) et Strab. VII, c. 7 § 12: *ὕστερον δ'ἀπεδείχθησαν τρεῖσ γραῖαι, ἐπειδὴ καὶ σύνναοσ τῷ Διὶ προσαπε δείχθη καὶ ἡ Διώνη.*

honorem non retinuisse valde est credibile, sed, ut est condicio rerum humanarum, altera victa alteri cessit. Ut igitur *Ἥρα* sic etiam Iuno sedem et honorem summae deae sibi serius arrogavisse videtur. Ac si natura magis caelestis *) quam terrestris est Iunoni, ut quae uxor sit caeli vel Iovis, de deabus, quarum nomina eadem sunt origine quaeque eundem sustinuerunt honorem, idem statuere a ratione non puto alienum. Antiquiores tamen, ut ostendunt ipsae fabulae, sunt habendae dea *Dia* et *Diana* vel *Iana* et *Diuturna* vel *Iuturna*. Quid? quod Iuno ipsa et *Iuno Lucina* et *Diana omnivaga* (Cic. N. D. II, 68) dicitur. Ut nominis sic etiam naturae coniunctio Iunonis cum Diana hoc loco Ciceronis intelligitur.

Ut vero utramque formam et Ianam et Dianam latinis in litteris invenimus, ita etiam praeter Ianum Dianus scribitur, nam in inscriptione Aquileiensi (C. I. L. V, 783. — Corssen Beitr. z. It. Sprachk. p. 356) legimus: *Iovi Diano* **) *C. Herennius Candidus v(otum) s(olvit) l(ibens) m(erito).* Ubi *Iovi* pro caelo (vel caeli deo) habeo, nam caelum ipsum Romani etiam Iovem apellabant, ut ostendunt versus aliquot Enni ***) (Cic. N. D. II c. 2), Lucani †) (Phars. IX, 580), Horati ††) (carm. I, 1, 25). Fortasse eodem sensu *Ζεὺσ* accipi potest, in hymno quinto Procli, ubi Ianus *Ζεὺς ἄφθιτος* et *ὕπατος* appellatur: *χαῖρ' Ἰανε πρόπατορ, Ζεῦ ἄφθιτε χαῖρ' ὕπατε Ζεῦ.* Praeterea aliquot locis homericis *Ζεὺς* idem atque caelum vel aerem significat, e. gr. Il. XIX, 357:

— — — — *ταρφειαὶ νιφάδες Διὸς ἐκποτέονται* —

Cfr *M.* 25 et *ξ* 457, ubi *Ζεὺς* prope idem atque caelum valet. Sententiam nostram etiam confirmat attributum illud *Ἀστέριοσ*, quo in Creta *Ζεὺς* appellatus est (cfr Mayer, Gig. u. Tit. p. 80).

---

*) Aeriam enim eam Stoici putabant teste Cicerone (N. D. II, § 66): Aer autem, ut Stoici disputant, interiectus inter mare et caelum, Iunonis nomine consecratur; quae est soror et coniux Iovis, quod ei similitado est aetheris et cum eo summa coniunctio. Effeminarunt autem eum Iunonique tribuerunt, quod nihil est eo mollius.

**) *Diano* Jordan (Preller, Myth. [3] p. 167 [2]) pro epitheto Iovis habet, sed ob aetatem deorum plane contrarie se rem habere putamus, cfr etiam Mayer, Gig. u. Tit. p. 82.

***) Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Iovem.

†) Iuppiter est quodcumque vides, quocumque moveris.

††) — — — — — manet sub Iove frigido cet. (cfr. librum meum: Indog. h. g. p. 73).

Hactenus praecipue de nomine Iani disputavimus, sequitur nunc, ut opiniones de dei natura, quae ullius sint momenti, vel antiquitatis vel recentioris aetatis, commemoremus. Cicero (N. D. II, 27) de origine nominis mentionem faciens nihil de dei natura statuit. Macrobius vero (Sat. I, 9, 11) eandem originem commemorans Ianum ab *eundo* dictum ad motum mundi refert, "quod mundus semper eat, dum in orbem volvitur". — Sententiâ vero Verri Flacci (Fest. p. 52) *Chaos* Ianus erat (cfr Ovid. Fast. I, 103 sqq.) — Teste Arnobio (adv. nat. III, 29) Ianum "quidam *mundum*, *annum* alii, *solem* esse prodidere nonnulli". Quo in numero est Lutatius, qui (Ioan. Lyd. de men. IV, 1) Ianum esse solem dixit: *ὅγε μὴν Λουτάτιος Ἥλιον αὐτὸν παρὰ τὸ ἀφ' ἑκατέρας πύλης ἄρχειν, ἀνατολῆς ἴσως καὶ δύσεως* (cfr Macrob. Sat. I, 9, 9). Nigidius Figulus teste Macrobio (Sat. I, 9, 8) Apollinem (i. e. Solis deum) Ianum esse vult. Messalla (Lyd. de mens. IV, 1) *) Ianum deum omnis initi et eundem *Αἰῶνα* esse putat, Plinius vero (n. h. 34, 37) temporis et aevi deum. — Varro "vir doctissimus et acutissimus" (Aug. c. d. VII, 28) Ianum *mundum* esse dixit (Aug. c. d. VII, 7); atque Macrobius (Sat. I, 9, 11) *mundum* et *caelum* idem significare putat, quod tamen non congruit divissioni Varronis (Aug. c. d. VII, 6): *"adiungit mundum dividi in duas partes, caelum et terram: et caelum bifariam in aethera et aera."* Augustinus quoque (c. d. VII, 28) aperte discernit caelum et mundum, adiciens: *"quem (Ianum) alii caelum, alii dixerunt esse mundum"*. Alii denique eum esse *deum aeris* statuerunt, ut Servius (Aen. VII, 610: *alii Ianum aërem credunt)* et Gauius Bassus (Lyd. IV, 2): *ὁ δὲ Γαΐοσ Βάσσοσ ἐν τῷ περὶ θεῶν δαίμονα αὐτὸν εἶναι νομίζει τεταγμένον ἐπὶ τοῦ ἀέρος καὶ δἰ αὐτοῦ τὰς τῶν ἀνθρώπων εὐχὰς ἀναφέρεσθαι τοῖς κρείττοσι.*

Coniectiones autem mythologorum recentiorum ultra has antiquorum sententias opinionesque de Iani dei natura non nimis sunt progressae. Nam Buttmannus quidem (Mythol. II p. 72) et Preller (Röm. Myth.[3] I p. 168 sqq.) etiamnunc Ianum solis esse deum putarunt idemque statuit Scaliger (vid. Corssen, Beitr. z. It. Sprachk. p. 351) Iano cum Iana (= Luna) in comparationem vocato. — Deecke autem (Etr. Forsch. II p. 125 sqq.) Ianum esse deum caeli ratus, quamquam etymologiam illam, qua ad radicem *div* refertur, spernit, Iani nomen idem atque appellativum nomen iani ("Schweibbogen, Bogenthor, gewölbter Durchgang") esse arbitratur. Ianus igitur auctore Deeckio caelum ut

*) *ὁ Μεσσαλᾶσ τοῦτον εἶναι τὸν αἰῶνα νομίζει.*

arcum vel fornicem significat, quare nomen caeli erat, non solis. — Corssen vero alia interpretandi ratione usus (Beitr. zur It. Sprachk. p. 352) Ianum (> *Dianum) deum caeli candidi esse existimat. — Roscher olim (Hermes d. Windg. p. 119 sq.) Ianum ad radicem *div* referens eum deum esse ventorum sibi finxit, qui quidem portas caeli custodire cogitaretur eumque cum græcorum deo, qui est Ἑρμῆς, quem antea sibi persuaserat deum esse ventorum, contulit. Sententiam tamen suam de vi et natura Iani postea mutasse videtur, nam (Lex. Myth. II p. 47) physicam rationem nullam Iano desiderat, sed omnes dei illius functiones inde explicari posse arbitratur, quod Ianus genius portarum *) et omnis initi numen tutelare a principio fuerit. Honos demum Tertulliani miro commento additus esse videtur, qui Ianum a ianua duxit (Cor. 13, Idol. 15) — quam derivationem ut inanem supra omisi —, nam a sententia Tertulliani non longe distat Roscheri, qui (l. c. p. 29) ianum ianuamve quasi divina persona indutum simpliciter inducit. Qui quidem Ianum cum Forculo et Limentino frustra comparavit. Hi vero vix dei sunt nominandi sed prope allegoricae **) et fictae personae, in religione Romanorum ad nullum fere honoris fastigium evecti.

Omnis vero illa opinio etymologiae populari a principio debetur nullaque cognatione cum ianua Ianus iunctus fuisse mihi videtur. Nam aeque a ratione aliena est opionio ista ac si quis germanorum deum tonitrualem (Thor) ad vocem, quae est *Thor* (porta, ianua), referret nomenque dei ab appellativo nomine ductum putaret, quod tamen, quantum scio, nemini in mentem venit, etiamsi Thor etiam portarum esset deus (cfr Mannhardt, Germ. Mythen p. 236 sq. et Rosch. Lex. Myth. II p. 49). Ac Germani quidem deum, qui est Thor, custodem portarum vel domuum facile ideo fecerunt, ne fulminis ictu deperderet domos cultorum suorum, sed ut fulmine retento ipsis parceret. Gratiam enim benevolentiamque dei potentissimi et valde metuendi sibi conciliare ita putabant, si eum tutorem domuum colerent, quamquam valde est credibile etymologiam popularem ad hanc vim utriusque dei constituendam vel plurimum valuisse. Unde intelligere possumus, quae priora primo aspectu videantur, ea saepe esse

---

*) Ita fere Mommsen (R. G. [8] I p. 164 ann.) etiam statuit.

**) Pro foribus et limine allegorice sunt dicti, ut omnes fere res a Romanis allegorica ratione in deorum numero reponi potuerunt, sicut Virtus, Honos, Ops, Salus, Concordia, Libertas, Victoria, "*quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset ipsa res deorum nomen obtinuit*" (Cic. N. D. II § 61 cfr III § 47).

posteriora, ut quae posteriora videantur, priora — id quod mythologis imprimis est memoria tenendum. Nam propterea quod potentissimi dei et *Thor* et *Ianus* *) erant, ideo tutelam eorum sibi suisque parare homines studuerunt nominum tamen vi in partibus dividendis (Liv. 8, 25) non prorsus neglecta.

Humilitatem Forculi et Limentini, quae numina ad fores et limina pertinent, comparatam Roscher (l. c. p. 30) satis simpliciter, eo excusat, quod limen et fores partes tantummodo iani vel ianuae sint. Quam ob rem ianum, ut qui notione sit latius patens, deum ampliorem et honoratiorem, imaginis scilicet similem, procreasse putat. Quid vero hoc incredibilius? — Pro certo enim habeo, si eiusmodi fuisset origo Iani, humilitatem eandem semper permansuram fuisse. Praeterea non est incredibile antiquissimis illis temporibus, quibus exstitit notio prima Iani dei, ianuas, si quae essent, et foribus et liminibus caruisse. Nam neque urbes habebant neque aedificia sibi etiamnunc aedificabant prisci illi homines vagantes et pascua peragrantes cum gregibus **). Deos tamen iam tunc illos coluisse e carminibus vedicis comparatis concludi licet (cfr librum meum: Indogerm. h. g. p. 21). Casis simplicissimis pro domibus sine dubio utebantur (cfr Charles Ploix, Nature des dieux p. 110 sq.) quarum foramina et ianuae et fenestrae erant.

Sed alia verborum, quae sunt *ianus* et *ianua*, explicatio ad rem diiudicandam plus valebit. Nam fuerunt etiam, qui nomina illa ad radicem *div* referrent. Ita quidem Bréal et Bailly ***) (Diction. etym. lat. s. v. *ianua*), quibus assentitur Charles Ploix (Nat. des dieux p. 111). Quod si ita est, luce clarius est Ianum appellativi nominis interventu in summi dei honorem ascendisse ne cogitari quidem posse. Nam ianus vel ianua locum solum vel foramen (cfr got. *augadauro* i. e. ianua oculorum vel lucis), quo intret lux vel dies (dagsljuset), tum potest significare. Ianus autem > *Dianus, cuius notio primaria *candens* vel *caelestis* fuit, quasi fons ipsius lucis est habendus, quare prior necessario est. Praeterea caelum quoque *dies* a principio significavit, ut iam supra diximus. Sed ut rationem illorum inanem, qui Ianum ianuas repraesentare censuerint, re-

---

*) Cfr Caton. de re rust., 134: *Iane pater, te precor, uti sis volens propitius mihi, liberisque meis, domo familiaeque meae.*

**) Cfr Hertzberg, Geschichte von Hellas und Rom II p. 7.

***) Hi apud francogallos *jour* etiam *ouverture* significare ad rem probandam commemorant. Eadem fere sententia est Jordan, qui (Top. II p. 214) *ianum* et *ianuam* 'Lichtung', 'lichte Öffnung', 'offenes Thor' a principio significare putat.

linquamus, ad sententiam eorum, qui Ianum solem esse credant, percensendam transgrediamur.

Ut supra diximus, iam antiqui scriptores nonnulli Ianum pro sole habuerunt, ut Nigidius Figulus teste Macrobio (Saturn. I, 9, 8 — I, 9, 5 et 6; I, 17, 42 et 64) et Lutatius (Ioann. Lyd. IV, 2). Inter scriptores vero recentiores, qui eandem amplexi sunt sententiam, praecipue nominandi sunt Buttmann (Mythol. II, 72), Schwegler (R. G. I, 218 sqq.), Preller (Röm. Myth. [3] I p. 167 sqq.). At valde tamen de hac doctrina est dubitandum, quae quidem magis commentis philosophorum quam opinionibus eorum, qui fabulas finxerint, niti videtur. Praeterea Sol Sabinus perhibetur fuisse deus, cui in cultu inferior locus semper fuit (cfr Seemann (Schéele) Mytol. p. 77 sq.) quique ad extremum Apolline Graecorum plane remotus est (Rosch. Lex. Myth. II, p. 44). Magis enim vulgaris res, ut ita dicam, sol erat, quam quem prisci illi homines in altius honoris fastigium extollerent, nedum in honorem dei summi, praesertim cum etiam perexigua res esse illis sine dubio visus sit, quem oculis diligentius intueri ne licuit quidem. Epithetis vero, quibus summi dei ornari solent, sol numquam neque a Romanis neque ab aliis gentibus indogermanicis celebratur, *Genius* tantummodo appellatur in inscriptionibus latinis (Willmanns 2247), quae tamen ad posteriorem aetatem pertinent, qua solis cultus antea paene neglectus Persarum deo solis, qui est Mithra, assumpto est constitutus. Immo vero studio Solis impulsi eo processerunt mythologi vel philosophi ut, ne deo solis prorsus carere viderentur Romani, Ianum solem esse statuerent (Rosch. Lex. Myth. II p. 44). Sed ne apud graecos quidem Apollo ab initio solis erat deus, ut e vetustissimis descriptionibus intelligitur, quo in numero est descriptio illa, quae in primo Iliadis libro v. 43 sqq. legitur:

— — — — *Φοῖβοσ Ἀπόλλων*
βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καϱήνων χωόμενοσ κῆϱ,
τοξ' ὤμοισιν ἔχων ἀμφηϱεφέα τε φαϱέτϱην,
ἔκλαγξαν δ' ἄϱ' οἰστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο
αὐτοῦ κινηθέντος. — —

Nam hic nulla ex parte cernitur posterior ille deus lucis, animadvertit Meyer (Indog. Mythen II p. 14), sed potius inducitur ferus et turbulentus ille *Ἄπλουν,* qui *Ὑλάτας* quoque a Thessalis appellari solebat.

Certe in hymnis vedicis sol semel anima mundi *) (I, 115, 1) appellatur. Sed interdum pro re plane inanima valet, nam in hymn. V, 63, 7 *currus lucidus* sine ambagibus sol vocatur. Persaepe vero sol oculus esse dicitur deorum, et maxime quidem oculus Varuni et Mithri (vid. Bergaigne, Rel. ved. t. I p. 7). — Praeterea oculum dei solem esse omnes gentes, quae ubique sunt, crediderunt: haec vulgi atque imperitorum fuit opinio, quam eandem apud veteres Romanos viguisse Macrobius (Sat. I, 21, 12) docet: — *Solem Iovis oculum appellat antiquitas.* Sed oculus est pars dei, non deus totus. Errat igitur Macrobius — doctrina platonica imbutus — Osirim et solem eundem esse (l. c.) affirmans: *Hunc Osirin Aegyptii ut solem esse adserant, quotiens hieroglyphicis litteris suis exprimere volunt, insculpunt sceptrum inque eo speciem oculi exprimunt, et hoc signo Osirin monstrant, significantes hunc deum Solem esse regalique potestate sublimem cuncta despicere.* Atque ut Iuppiter, etiamsi sol oculus eius sit, ipse non est Sol, ita Osiris quoque Aegyptiorum plane idem atque oculus suus non est (nam litteras hieroglyphicas non solum res totas sed etiam partes rerum exprimere posse notissimum est), sed ut Iuppiter caelum sine dubio significat.

Neque honoribus adeo magnis sol in hymnis hebraeorum celebratur, nam casa sola ei in caelis est, unde ut sponsus procedens — exsultat ut *heros* (ps. 19, 5, 6).

His consideratis et deliberatis ab hominibus antiquissimorum temporum haec magnificentia Solis dei, quam mythologi recentiores augere et amplificare studuerunt, profecta esse nullo modo potest. Est sane aetatis multo recentioris, nam philosophi stoici et platonici primi hanc venditarunt doctrinam.

Stoici vel physici, nam Cicero philosophiae rationem eorum physicam appellat rationem, deos fere omnes res naturales vel qualitates symbolice indicare putabant (cfr Cic. N. D. II § 63 sqq. — Sen. qu. nat. II, 45. — Boissier, Rel. rom. II p. 126 sqq.). Hi quidem solem et Apollinem confuderunt ut Dianam et Lunam, nam apud Ciceronem (N. D. § 68) legimus: *Iam Apollinis nomen est graecum, quem Solem esse volunt. Dianam autem et lunam eandem esse putant.*

---

*) Eodem modo a Cicerone (Somn. Scip. IV) sol mens mundi et temperatio dicitur, ut subtilitates physicae rationis agnoscas (cfr Plat. resp. VII, 516 b — Sen Qu. nat. II, 45) — nam paulo ante simplicius dicitur sol *dux et princeps et moderator luminum reliquorum.*

Platonici vero philosophi, qui summo religionum externarum studio incensi erant (cfr Boissier, Rel. rom. II p. 137 sqq.), deos Graecorum et Romanorum externis illis deis comparatis illustrare et interpretari sunt conati. Nec mirum igitur solem primas quasi partes in illorum interpretationibus (cfr Welcker, Gr. Götterlehre I p. 401) sibi vindicasse, praesertim cum in libris Zoroastris summi dei (et Ahura Mazda et Mithra) saepe cum sole comparentur *). Sed ratio Zoroastris, qui philosophus erat ipse et reformator vetustioris religionis naturalis, est ratio plane philosophica, quae ab opinionibus vulgi — et quidem ab opinionibus antiquissimorum hominum haud paullum differt. Nec dispar erat ratio reliquarum Orientis religionum, quae suas quaeque reformatores iam dudum habuerant.

Ad sententiam nostram comprobandam nihil non valet quod ab Homero *ἠέλιοσ* numquam dei laudibus celebratur (Welcker, Gr. Götterl. I p. 413). Ac re vera iam Aristophanes (Pac. 404 sqq.) de nascente cultu solis divino, qui barbarorum esse dicitur (*τούτοισι δὲ οἱ βάρβαροι θύουσι* l. c. 410), dehortatur. Philosophi vero graeci, nomino Platonem, Pythagoram, Socratem soli divinum honorem iam attribuerunt (Welcker, Gr. Götterl. I p. 412). In litteris igitur vetustissimis Indorum, Graecorum, Latinorum nulla aut pauca saltem Solis cultus vestigia inveniuntur. Quae cum ita sint, valde incredibile mihi videtur antiquissimum Romanorum deum fuisse Solem.

Teste Augustino (c. d. VII, 7) Varro melius sane et, ut mihi quidem videtur, a vero non prorsus abhorrens, censet Ianum esse *mundum* **), quo tamen non caelum significatum vult, ut apparet ex capite 6 comparato cum capite 28 eiusdem libri, ubi Iuppiter caelum esse ab eodem dicitur. Certe tamen testatur Macrobius (Sat. I, 9, 11) mundum et caelum idem posse valere et recte fortasse, quippe cum caelum omnia fere amplecti videatur. Ioannes autem Lydus (de mens. IV, 2) narrat Varrone auctore usus Ianum a Tuscis appellari caelum (*οὐρανόν*): *ὁ δὲ Βάρρων ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῶν θείων πραγμάτων*

---

*) Apud Romanos quoque aetate posteriori tantum externarum gentium religiones valebant, ut Iuppiter quoque Solis cognomine appellaretur, nam *Iuppiter Optimus Maximus Sol* in inscript. 97 Willmanns est.

**) Quod iudicium ter repetitur: *Janus igitur — — mundus est. Numquid ergo ad mundum, qui Ianus est, initia rerum pertinent — — ? — Iano, id est mundo, solam initiorum tribuerunt potestatem.*

φησιν, αὐτὸν παρὰ Θούσκοις οὐρανὸν *) *λέγεσθαι καὶ ἔφορον πάσης πράξεως.* Nomen igitur ipsum Iani idem atque caelum significare hoc Varronis testimonio aliquid etiam firmatur.

Ac re vera caelum rerum omnium ad deum summum significandum aptissimum est, multoque soli est praeferendus "*ultimus et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens caeli complexus, qui idem aether* **) *vocatur*" (Cic. N. D. II § 101), qui idem fere est atque "extimus (caelestis orbis), qui reliquos omnes complectitur, summus ipse deus, arcens et continens ceteros" (Somn. Scip. XVII (IV). — Nec mirum hominibus antiquissimis admirabilem caeli ornatum visum esse, *quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius*" (N. D. II § 104). "*Admirabilis etiam visa est caeli constantia, quam oculis assidue videmus sine ulla mutatione aut varietate*". Caelum igitur ipsum et hunc tantum caeli ornatum pro deo facile habebant prisci illi homines, qui remota subtilitate philosophandi oculis contemplarentur pulchritudinem rerum caelestium. Tali condicioni aptissima et dignissima videntur haec Euripidis verba, ex graeco in latinum (a Cicerone) conversa (N. D. II § 65):

Vidés sublime fúsum, immoderatum aéthera,
qui ténero terram círcumiectu ampléctitur?
Hunc súmmum habeto dívom ***). — —

His congruenter *Οὐρανὸς* apud Graecos primus totum rexisse mundum dicitur. Ab his enim verbis exorditur Bibliotheca Apollodori: *Οὐρανὸς πρῶτος τοῦ παντὸς ἐδυνάστησε κόσμου.* Quin etiam in hymnis Hebraeorum eadem caelorum vis celebratur (ps. 19): "Coeli enarrant gloriam dei et opera manuum eius annunciat firmamentum — — Sermo et verba caelorum non eiusmodi sunt quae non audiantur. In omnem terram exit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum".

Ipsa igitur nomina deorum superorum et litterarum monumenta complurium gentium caelum docent antiquissimis quidem temporibus pro deo esse habitum.

---

*) Nomen tuscum *Ani* fuisse demonstravit Deecke (Etr. Forsch. IV p. 25 sqq.), ut *Uni* est Iuno.

**) In cosmogonicis scriptis Tuscorum aether i. e. caelum candens primordium esse, unde mare et terra exstiterint, perhibetur (Preller, R. M.³ I p. 172).

***) Hi versus fabulae deperditae apud Stob., Ecl. I, 3, 2 leguntur: *ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς — — τόνδ' ἡγοῦ θεόν.*

— Ianum caelum repraesentasse forma quoque templi eius indicat, quod arcus vel fornix erat — quae fornix imago caeli mihi videtur fuisse, ut pro caelo et germanice *Himmelsgewölbe* et suethice *himlahvalf* dicitur. Recte igitur, opinor, Deecke (Etr. Forsch. II p. 125 sq.) Ianum esse *deum caeli* statuit. Falso tamen putat Ianum idem atque transitum esse et etiam per se a principio fornicem vel arcum significasse, nam fornix vel arcus est imago sola caeli *), non ipsa interpretatio nominis Iani.

Ceterum a ratione nostra alienum non est, quod a Varrone (l. l. V, 57) principes dei romanorum Caelum et Terra nominantur. Paulo infra (§ 58) ita pergit idem: *Terra enim et Caelum, ut Samothracum initia docent, sunt Dei Magni*, qui iidem sunt atque Samothracum *θεοὶ δυνατοί*, qui in augurum libris *deivei potes* scribuntur — nam sic concinnitatis causa lego, ut inter se respondeant *θεοὶ δυνατοὶ* et *deivei potes*, praesertim cum codices *dei qui* (sec. Müll.) habeant — quod a forma *deivei* magnopere admodum non abhorret.

Ut Varro Caelum et Terram principes esse deos dixit, ita Caelo, ut animae, principatum detulit (l. c. § 59). Cum vero idem (l. l. V, 34) Ianum principem **) deum nominat, iam sequitur, ut Ianus, si deus sit princeps, idem atque Caelum sit.

Nemo Latinorum poeta indagationem initiorum et tamquam seminum, unde sint omnia orta, generata, concreta carminibus illustrare aut deorum propagines ordine enarrare conatus est. Attamen et ex sacris caerimoniisque et ex dictis scriptorum veterum raris concludere licet, Ianum omnium deorum fuisse primum. Quare omnium rerum auctor et procreator est habitus, quem Septimius Serenus ita cecinit: "o cate rerum sator, o principium deorum" (cfr Prell. R. M. [3] I p. 171 ann. 2 et Coquaei animadv. ad Aug. c. d. VII c. 3). Verus etiam italicus erat deus, "nam tibi par nullum Graecia numen habet" profitetur Ovidius (Fast. I, 90), atque iam antiquissimis temporibus huius dei cultus in Italia longe lateque erat diffusus (Prell. R. M. [3] I p. 166), Romaeque sacra eius a Numa sollemniter instituta erant (Liv. I, 19). Falso igitur, opinor, Deecke (Etr. Forsch. II p. 125 sq.) Ianum fuisse deum Tuscorum proprium et e Tuscis a Romanis

---

*) Cfr Preller, Röm. Myth. [3] I. p. 168.

**) Dehinc quintus *Quintilis* et sic deinceps usque ad *Decembrem* a numero. Ad hos qui additi, prior a principe deo *Ianuarius* appellatus.

susceptum *) censuit — quod saltem idem fere est atque statuere Romanos a principio sine deis et religione fuisse. Quam ob rem et Jordan (Prell. Röm. Myth. [3] I p. 166 ann. 2) et Mommsen (Münzw. 185) summo iure hanc opinionem graviter impugnaverunt et reiecerunt, hic etiam affirmans Ianum certo esse italicum deum et, quod diiudicari possit, etiam romanum.

Praeterea verisimile admodum non est Romanos deo peregrino deos domesticos omnes postposuisse; nam cum Cicero (N. D. II c. 27) eos principem in sacrificando Ianum esse voluisse narrat, a maioribus ultimae memoriae traditum morem, cuius causam indicare studet, sine dubio commemorat, male tamen antiquum interpretatus morem, ut si *in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema.*

Simplicissima vero huius moris haec causa fuisse videtur: quia Ianus a primo deus fuerat princeps, ideo, ne summum deum umquam negligere viderentur, ei primo sacrificare, antiquissimum morem identidem servantes, perseverabant. Mala enim interpretatione sola Ianum initiorum deum esse factum existimo. Praeterea alii **) aliter hanc consuetudinem, cuius Martialis quoque mentionem facit (X, 28): *quem primum vota precesque vocant*, sunt interpretati.

Ovidius enim (Fast. I, 171 sqq.) prorsus aliam causam perhibet:

— — *cur quamvis aliorum numina placem,*
Iane, tibi primum tura merumque fero?
ut possis aditum per me, qui limina servo,
ad quoscumque voles, inquit, habere deos.

Hic igitur idem mos eo declaratur, quod per Ianum quasi aditus ceteris praebetur deis. Cum Ovidio consentit Arnobius, qui (adv. nat. III, 29) scribit: *quem* (Ianum) *in cunctis anteponitis precibus et viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis.* Neque aliter rem explicat Macrobius (Sat. I, 9, 9), apud quem haec legimus: *invocarique primum* (Ianum volunt), *cum alicui deo res divina celebratur, ut per eum pateat ad illum, cui immolatur accessus, quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat.*

*) Sed iam ab initio Romani magnopere aversati sunt, ne peregrina susciperent religionis sacra, ut Livius (I, 7, 15) de sacris Herculis commemorat: *Haec tum sacra Romulus una ex omnibus peregrina suscepit*, ac vere de religione Romanorum animadvertit Mommsen (Röm. Gesch. [8] p. 178: "im Grossen und Ganzen ist die römische Religion eine organische Schöpfung des Volkes".

**) Vid Fest. p. 52 s. v. *chaos, cui primo supplicabant velut parenti.*

Sed valde obscurus iam antiquis fuit principatus Iani — ut par est — quippe cum Iuppiter princeps illis ipsis temporibus haberetur, diversitatem temporum non considerantibus. Difficultates igitur haud exiguas interpretibus et antiquioris et recentioris aetatis praebuit quaestio illa, quid inter potestatem Iani et Iovis interesset, nam horum deorum vim et potestatem secernere plane non potuerunt antiqui, ut ex Augustini c. d. VII c. 9 et 10 patet. Neque eo internoscuntur Ianus et Iuppiter, quod penes Ianum primordiorum potestas, penes Iovem causarum esse dicitur (l. c., c. 10), neque inest quid solidi aut certi in responso illo Varronis acutissimi et doctissimi viri (Aug. c. d. VII, 9): *penes Ianum sunt prima, penes Iovem summa* — artificiosa enim et vilis est interpretatio ista.

Ac re vera universae rei summa in eo vertitur, quod de dignitate Iovis, inferiori aetate dei tonantis (vid. Deecke, Etr. Forsch. II p. 126), ne quidquam detraheretur, timuerunt. Cuius dei honoris cura et sollicitudine affecti et a recta via abducti, vera de Iano statuere neque voluerunt neque potuerunt. Nam ipse Augustinus "deinde, inquit, quaero, quem iam locum inter deos huic tribuant Iovi, si Ianus est mundus" (l. c. VII, 9).

Res vero facile diiudicari potest, si consideremus historica, ut aiunt, aetate principatum inter deos obtinuisse Iovem, proethnica vero aetate Ianum summum habuisse imperium. Quid, quod Ianus ipse inferiorem esse Iovem pronuntiat hoc versu Ovidiano (Fast. I, 126):

— *it, redit officio Iuppiter ipse meo.*

Ex antiquissima aetate repetendum esse Ianum cultumque eius Iuvenalis quoque docet (Sat. VI, 393), cum Ianus *antiquissimus* dicitur deus. Neque auctoritas eius ideo plane nulla est, quod scriptor est posterioris aetatis, nam nihil omnino impedit, quominus cognitionem antiquitatis a bonis auctoribus acceptam habuerit. Ac pro certo affirmari potest Iuvenalem non magis primum Ianum *antiquissimum* deum appellasse quam *patrem*, quo cognomine eodem loco *) utitur, sed antiquiores sequi scriptores. Praeterea ad nostram quoque quaestionem aliquid valet, quod attestatur Esaias Tegnér (in libro, qui inscribitur Ninives och Babylons Kilskrifter p. 126), quare verba suecana in latina converto: "quo magis, inquit, annis

*) *dic mihi nunc, quaeso, dic, antiquissime divum,*
respondes his, Iane pater? magna otia caeli;

Nonne *Iane* et *caeli* hic idem declarant?

progreditur genus hominum, eo melius primae suae aetatis tempora cognoscere videtur. Nam remotissimam suam novissima quaeque aetas denudat vetustatem". Certe enim recentissima quaeque sunt correcta et emendata maxime, ut est apud Ciceronem (Acad. post. I c. 4).

Testimonia igitur illa quibus Ianus primus vel tempore vel dignitate fuisse affirmatur, non sera commenta habenda sunt, etiamsi apud scriptores recentiores leguntur, praesertim cum hi in temporibus superioribus cognoscendis multum versati esse possint. Ac cum a Varrone, viro omnis antiquitatis peritissimo *), Ianus princeps vocetur deus (l. l. VI, 34), primus certe tempore vel ordine hic dicitur, quamquam attributum illud etiam ad dignitatem spectare potest, nam hoc quoque sensu *princeps* haud raro usurpatur in sermone latino.

Ianum principem deum et aetate vel ordine et dignitate fuisse existimatum enumeratione quoque Varronis, qua teste Augustino **) (c. d. VII, 2) Ianus inter deos selectos primus ponitur, comprobatur. Iano vero primum hic locum esse datum, quod omnium initiorum potestatem haberet, non est, cur credamus — quae tamen fabula satis multa munera et vilia et ficta huic deo comparavit, ut quod narrat Augustinus (c. d. VII, 2): *aditum aperit recipiendo semini* (l. c., c. 3). Neque magis, credo, quam Ζεὺς Ianus est dicendus deus initiorum, nam quod dixerunt poetae graeci: ἐκ Διὸς ἀρχόμεσθα, ut est apud Aratum (cfr. etiam Callim. Iov. 1 sq. et Theocr. id. XVII, 1) hoc ad deum *potentissimum* spectare puta. Quam ob rem haud aliter simili in casu de Iano est statuendum. Quem quidem deum Horatius (Sat. II, 6, 22 sq.) non secus invocat: *tu* (Iane) *carminis esto principium*, quo quidem ex dicto honor summus dei antiquissimi etiamnunc cernitur, "unde homines operum primos vitaeque labores" instituere solebant, antiquo quidem more ducti. — Ovidius quoque (Fast. I, 64) eodem modo a Iano incipit:

inque meo primus carmine Ianus adest.

Quocirca hac in causa sic statuo: quia a principio Ianus summus est habitus deus, ideo more maiorum tradito in formulis sacris precibusque deis reliquis identidem praeponitur omnibus. Neque aliter fit in vetere illa formula a Livio (VIII, 9) servata, qua se Decius deis devovet, nam primo hic quoque Ianus,

---

*) Cfr Quintiliani Instit. X. 1. — August. c. d. VI, 2 alibi. — Cic. Acad. I c. 3.

**) Cfr August. c. d. VI, 9: Denique et ipse Varro commemorare et enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numeros exorsus est a Iano.

deinde Iuppiter nominatur. Cum vero apud Macrobium (Sat. I, 9, 3) Xenonem scripsisse legimus Iano in sacrificiis praefationem ideo esse datam, quod primus templa deis et ritus instituisset sacrorum, haec vana esse, quis est quin videat? Interpretationem autem illam inde esse natam, quod principatum in sacrificiis huic deo antiquissimis temporibus delatum posteriores non intellexerint, veri simillimum est. Variae igitur illae et viles de initiorum deo interpretationes narratiunculaeque in suspicionem etiam atque etiam sunt vocandae. Sed ad testimonia, ex litteris latinis sumpta, quibus confirmatur sententia nostra iam pergamus.

Nam a sententia nostra non abhorret, quod apud Festum (p. 52) *Chaos* et Ianus conferuntur, ubi ita est scriptum: "Chaos appellat Hesiodus confusam quandam ab initio unitatem, hiantem patentemque in profundum. Ex eo et χάσκειν Graeci et nos hiare dicimus. Unde Ianus detracta aspiratione nominatur ideo, *quod fuerit omnium primus; cui primo supplicabant veluti parenti, et a quo rerum omnium factum putabant initium*".

Videmus igitur iterum antiquissimum deum et parentem Ianum in his quasi cosmologiae romanae reliquiis celebrari. Atqui non solum apud Festum haec sententia nobis occurrit, ab Ovidio enim eadem ab antiquis tradita narratur (Fast. I, 103):

me Chaos antiqui — nam sum res prisca — vocabant.

Quare non est, cur de vetustate summa huius dei dubitemus. Chaos enim Ianus ideo, opinor, dicitur quod fuerit omnium primus et quasi principium, unde omnia orta sint. Sed harum omnium rerum formator et ordinator etiam est habitus, nam etsi ipse erat Chaos (i. e. rudis et indigesta rerum moles) rerum omnium perturbationem et confusionem ex inordinato in ordinem adduxit se ipsum facie dei induens. Quod quidem Ovidius non multo aliter enarrat (Fast. I, 105 sqq.):

lucidus hic aër et, quae tria corpora restant,
ignis, aquae, tellus, unus acervus erant,
ut semel haec rerum secessit lite suarum
inque novas abiit massa soluta domos;
flamma petit altum, proprior locus aëra cepit,
sederunt medio terra fretumque solo.
tunc ego, qui fueram globus et sine imagine moles,
in faciem redii dignaque membra deo.

nunc quoque (confusae quondam nota parva figurae)
ante quod est in me postque, videtur idem. —

Ianus vero creator mundi ab antiquis esse habitus multis aliis scriptorum latinorum testimoniis etiam luculentius affirmatur. Macrobius enim (Sat. I, 9, 14) tradit Marcum Messalam, anno urbis DCCI consulem et per annos quinquaginta quinque augurem, de Iano librum ita incepisse: *Qui cuncta fingit eademque regit, aquae terraeque vim ac naturam gravem atque pronam in profundum dilabentem ignis atque animae levem in inmensum sublime fugientem, copularit circumdato caelo: quae vis caeli maxime duas vis dispares conligavit.*

Ita mundi creationem per Ianum effectam descripsit is, qui ipso munere suo plus dimidio seculo ad res divinas Romanorum cognoscendas paene cogeretur. Quare eum doctrinam sacerdotum vere romanam protulisse non est incredibile, nam aliunde eam esse sumptam vix demonstrari posse credo, quamquam ita statuit Zander (l. c. p. 58): "In his cum alia philosophorum inventa tum stoica quaedam secutus est". Sed monendus est et a philosophis omnino et maxime a Stoicis Iovem non Ianum mundi creatorem et gubernatorem esse existimatum. Nam apud Senecam (Nat. Quaest. II, 45) ut unum e multis afferam exemplum, haec legimus; — — — *eundem quem nos Iovem intellegunt, rectorem custodemque universi, animum ac spiritum mundi, operis huius dominum et artificem.* — De Iano vero, creatore et rectore universi, nihil philosophos commemoravisse, non est mirum, quippe cum de deis praeteritarum aetatum disserendi vulgo non esset causa. Magis vero poetae hac sacerdotum doctrina delectati videntur; quare eam vere romanam *) et quasi ex intimis religionis romanae penetralibus ductam puto. Nam poetae et recentissimi et antiquissimi idem de Iano praedicarunt. Neque enim scriptores inferioris aetatis memoriam antiquissimi dei plane deposuerunt: Iuvenalem exempli causa nomino. Immo vero Martialis quoque (X, 28, 1) Ianum *annorum mundique satorem* etiamtunc appellat. — Septimius Serenus denique, poeta multo inferioris aetatis, ita Iani naturam et munera depingit, vetera novis commiscens:

---

*) Iam Cicero (N. D. III § 43) recte iudicavit fontes romanos rationibus Stoicorum esse praeferendos: *docebo,* inquit, *meliora me didicisse de colendis dis immortalibus iure pontificio et maiorum more capedunculis iis, quas Numa reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quam rationibus Stoicorum.*

Iane pater, Iane tuens, Diue biceps, biformis,
O cate rerum sator, o principium deorum. —
cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.

Itaque a scriptoribus plerisque Ianum ut rerum omnium auctorem et procreatorem celebrari vidimus, immo vero auctor vel parens deorum ipsorum dicitur id quod *principium deorum* mihi videtur significare, adiuncta tamen significatione *princeps* vel *caput deorum* non plane exclusa; praeterea apud Augustinum (c. d. VII, 28) *caput deorum* Ianus aperte dicitur. Legimus enim loco laudato: *Quid est ergo, quod dicitur, caput deorum Ianus, caput dearum Tellus,* — sic enim constituerat Varro.

Atqui non solum apud scriptores recentiores *creatoris* cognomen Iano tribuitur, sed etiam in antiquissimis poesis romanae reliquiis vel in carminibus Saliorum; plerique enim huius carminis editores vel restauratores in verbis deperditis loci Varroniani (l. l. VII, 26) plane idem de Iano affirmari se invenisse crediderunt *).

Spretis vero ac repudiatis vanis illis loci restituendi conatibus, restant tamen in carmine Saliari verba idem significantia — quae ad Ianum referri debent — meliusque confirmata. Nam apud Festum p. 122 haec leguntur: — *et in carmine Saliari Cerus manus intelligitur creator bonus.* Nam si consideremus Salios sacerdotes etiam ad Ianum canendum institutos fuisse, ut testatur Ioannes Lydus (de mens. IV, 2): *δυοκαίδεκα πρυτάνεις πρὸς τοῦ Νουμᾶ τοὺς καλουμένους Σαλίους ὁρισθῆναι φασιν ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν,* et testimonia scriptorum iam supra enumerata, quibus etiam atque etiam Ianus creator esse confirmatur, annumeremus, iam eo verisimile fit Ianum etiam in carmine Saliorum *cerum manum* i. e. bonum creatorem fuisse appellatum, atque haec ipsa verba (cerum manum) ad Ianum solum eodem in carmine

*) E codicis Florentini reliquiis: *DUO MISCERUSES DUN IANUSUE* iam Corssen haec restuit verba: *Duonus Ceruses, dunus Ianus: Bonus creator, bonus Ianus* (Cfr Beitr. zur It. Sprachk. p. 351 — Ausspr. I. p. 229 anm. et p. 473). Bergk, Op. I p. 485: *Ianitos Ianes: duonus cerus es, Ianes.* — *Havet,* de Saturn. lat. versu p. 410 legit: *duonus Ceruses, Jordan vero* (Krit. Beitr. p. 224): *duonus cérus es, duonus Iánus,* — sed cum ex ipso orationis contextu pateat, hic non versus aut versuum partes esse quaerendas sed tantummodo singula verba, inter *s* et *r* variantia, plane falsa existimanda sunt ista de Iano indicia, praesertim cum vix unum verbum ad loci sententiam conveniat, quamquam ad rem propositam illustrandam quam maxime valerent versus illi, largi enim reditus mythologiae saltem inde redundarent.

spectasse, nam nisi sacerdotes ipsius Iano creatoris personam tribuissent, quis tandem tribuisset? Hoc ex fonte credibile est poetas posteriores doctrinam suam repetivisse.

Cerus vero, quod vocabulum Festus idem atque creatorem significare ait, ad radicem *qer* agere perbene referri potest, sanscr. *kar*, quae etiam occurrit in gr. *Κϱόνος*, cui formae respondet scr. *Krānás* agens, sedulus, studiosus (cfr Brugmann, Grundr. d. vgl. Gr. p. 142 sq.).

Nomina, quae sunt *cĕrus* et Cĕr-ēs, cognata esse cum Corsseno *) existimo, et idem fere significant. *Cerus* igitur creator est et *Ceres* quasi dea creationis (perpetuae); mediam radicis formam utraque prabet vox, dum cognatae voces *cr*-ē-*āre*, *cr*-ĕ-ā-*tor*, *cr*-ē-*scere* cet. levissimam habent formam. Vocem vero, quae est cĕrus: creator, cum voce illa, quae est *cerrus* vel *cerus* (e. gr. in ceri-monia) > *cersus, umbr. *Çerfus*, unde adj. *çerfius*, osc. kerrí [kerríiaí, kerriiúí, kerrúís, quae epitheta deis adduntur (tab. Agn.)], cognatam esse non credo, ut vult Bréal (Mémoire de la Société de Lingu. IV p. 142 et Dict. etym. lat. s. v.). *Cerrus* enim idem atque *genius* vel *δαίμων* est, bonus malusve **) (cfr lat. cerritus = (malo) genio affectus), quare *cerrus* (> *cer-sus) potius cum dea graecorum, quae est *Κήϱ*, dea mortis — cui voci cognata sunt verba *κηϱαίνω* nocere et *ἀκήϱιοσ* inviolatus (cfr Corssen, Ausspr. ² I p. 403 et 521 sq.) — conferendum puto.

Derivatio autem nostra e radice *qer* etiam interpretatione Festi (p. 122) confirmatur: *in carmine Saliari cerus manus intelligitur creator bonus*, — quae interpretatio cur in dubitationem vocetur, non intelligo; quare Buecheler (cfr Preller, Röm. Myth. ³ I p. 79 ann. 2) *cerum* idem esse atque cerrum i. e. genium non recte statuisse mihi videtur, praesertim cum ipsa significatio (genius) a carmine adeo antiquo quam alienissima est, nam deus summus *genius* vix umquam est appellatus, quod nomen magis ad deos minorum gentium (Geister und Dämonen, vid. Preller, l. c. p. 75) convenit, omnis enim illa geniorum ratio aetatis multo posterioris sit, est necesse. Nam incertae illae et vagae geniorum definitiones Varronis ***) apud Augustinum (c. d. VII, 13) non ab an-

---

*) Ausspr. ² I p. 229 ann. — Quae contradixit Zander (l. c. p. 25) facile tolluntur, cum et versus ille Saturnius et vox ipsa *cerus* illo loco coniecturae (falsae) debeantur.

**) Cfr Serv. V. Aen. 743: *cum nascimur duos genios sortimur. Unus est qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala.*

***) *Quid est genius? Deus est, inquit, qui praepositus est ac vim habet omnium rerum gignendarum.* — — — alio loco *genium dicit esse uniuscuiusque animum rationalem et ideo esse singulos singulorum:* talem autem mundi animum Deum esse, ad hoc idem utique revocat, ut *tamquam universalis genius ipse mundi animus* esse credatur. Unde pantheismi, qui

tiquissimis et carminis Saliaris temporibus sunt repetendae, sed simpliciter e Stoicorum ratione (Preller, l. c. 77), quam plane redolent, ducendae; atque veri simillimum est hanc doctrinam totam a stoicis, si non inventam, at explicatam tamen et conformatam esse ad rationem eorum, qui omnem vim divinam in universa natura sitam esse censeant.

Ianum autem in carmine Saliorum creatorem appellatum esse minime est mirum, nam alii quoque gentium indogermanicarum dei summi partes creatoris agunt (cfr librum meum: Indog. h. g. p. 53 sq. et p. 68). Immo etiam ut deus sui potens in carminibus vedicis *Dhâtar* (i. e. creator) inducitur, e. gr. VII, 35, 3, itaque persaepe in libro decimo hymnorum vedicorum fit, ubi tamen *dhâta* ad *Varunum*, qui mundum creavit, ita referri potest, ut pro deo ipso cognomen eius sit positum. Nam creator (dhâtar) et Varuna idem possunt valere. — Eodem modo *Κρόνος* (i. e. creator) deus sui iuris factus esse potest. *Κρόνος* enim cognomen dei summi a principio facile fuit, cum *Οὐρανὸς* a Graecis *κρόνος* vel creator etiam nominari potuerit.

Litterarum latinarum igitur monumenta et antiquiora et recentiora laudibus creatoris Ianum, licet parce fiat, ornant. Sed qui mundum creasse cogitetur, is etiam regnator et gubernator mundi habeatur, prope est necesse. Quae quidem ratio in omnibus fere religionibus, quod sciam, valet. Atque ita quidem esse in religione Indorum iam antea ostendi in libro illo, quem inscripsi Indogermanernas högste gud, p. 54. Quocirca eandem rationem religionis Romanorum esse iam per se credibile est, Ianumque fuisse deum, qui totum mundum administraret. In reliquiis vero carminis Saliaris, cuius plus duo vix restant versus integri, nihil de Iano mundi gubernatore traditum esse, non est quod valde miremur, quamquam ne hanc quidem sententiam carminis Saliaris summae repugnare mox videbimus. Sed primum afferemus locos scriptorum, quos Ianum mundi gubernatorem celebrare cognitos habemus.

Ut a Tuscis auctore Varrone (Ioann. Lyd. de mens. IV, 2) *ἔφορoσ πάσησ πράξεως* Ianus habebatur, ita etiam a Romanis *cuncta regere* credebatur. Messalla enim, cuius iam mentionem fecimus, apud Macrobium (Sat. I, 9, 14) de Iano liberrime profitetur: *Qui cuncta fingit eademque regit;* hic igitur omnium rerum auctor harum ipsarum rerum gubernator et moderator esse etiam dicitur.

---

vocatur, conclusionem exprompsit Augustinus: *nam si*, inquit, *omnis genius Deus et omnis viri animus genius, sequitur, ut sit omnis viri animus Deus.*

Ovidius quoque, qui copiosius ceteris creationem mundi descripsit, copiosissime etiam conservandi munus Iani enarrat (Fast. I, 117 sqq.):

quicquid ubique vides, caelum, mare, nubila, terras:
omnia sunt nostra clausa patentque manu.
me penes est unum vasti custodia mundi,
et ius vertendi cardinis omne meum est.
cum libuit Pacem placidis emittere tectis,
libera per tutas ambulat illa vias:
sanguine letifero totus miscebitur orbis,
ni teneant rigidae condita bella serae.
praesideo foribus caeli cum mitibus Horis;
it, redit officio Iuppiter ipse meo.

Gubernatorem mundi Ianum in theologia romana celebrari loci quidem allati confirmant. Quam certe opinionem ab hominibus ultimae memoriae alienam non fuisse ex eo intelligitur, quod *Saliorum quoque antiquissimis carminibus deorum deus canitur* Ianus, ut est apud Macrobium (Saturn. I, 9, 14); ac si princeps deus est (Varr. l. l. VI, 34) et procreator mundi, iam inde sequi debet, ut opus suum regere existimetur, praesertim si nemo deorum ei par sit aut superior. Ipse ille versus carminis Saliaris, ubi Ianus deus deorum canitur, etsi non plane integer, a Varrone (l. l. VII, 27) servatus est:

Divum empta cante, divum deo supplicante.

Zander tamen praeiudicata opinione occupatus hoc aperte dictum Macrobi (cui vel omnis cognitio carminis Saliaris non est abiudicanda), — quod paene repetitur l. c. § 16: (Ianum) *patrem* (invocamus) *quasi deorum deum* — in suspicionem vocavit, contendens 'deorum deum' et forma et significatione a carmine Saliorum esse alienum (l. c. 54 sqq.). Formas enim traditas recentiores esse, quam quae ferri possint, arbitratur. At genitivi forma *divum* non est exagitanda, nam ratione scribendi excepta ab antiquissima forma *deivom* nihil fere differt, quod tamen mendum facile est scribae *). Forma autem *deo* me iudice multo minus dubitationis praebet quam immanissima forma *deous* **) (i. e. diei), quam substitutam vult.

*) Cfr Varr. l. l. V, 65, ubi in versu Enniano: *Divomque hominumque pater rex* codices praebent *divum*.

**) Hanc formam fictam formis *dious* et *dius* (p. 31) exaequat, sed cur dius dious per synezesin sine circuitione legere non est fas, ut Plautinum diu?

Praeterea, etiamsi antiqui formas, quales sunt *deivos*, *divus*, praecipue usurparint, vix poetico sermoni — ne antiquissimo quidem — forma levior *deus *)* (cfr etiam Henry, grammaire comp. lat. et gr. p. 48 ann.) est abiudicanda, praesertim cum formarum verborumve vetustatem accuratissime persequi non possimus. Ac revera in antiquissimis linguarum reliquiis formae, quae recentiores esse videntur, saepe inveniuntur, ut in carminibus vedicis haud raro fit.

Jordan vero (Krit. Beitr. p. 222) et ceteri critici providi cautique a sacris reliquiis manus abstinuerunt atque, ut decet, immutatas reliquerunt voces quidem *divom deo.* Ac cum hic versus carminis Saliorum quasi fundamentum sit quaestionis nostrae, scripturam codicum gravius defendam, praesertim si et res et formae recte se habent. Praeterea iam per se apparet pluris esse existimandam auctoritatem codicum quam arbitrium criticorum. — Jordano tamen grammatica illa figura 'deus deorum' mira est visa, quam male ita interpretatur: *der Gott aus der Zahl der ungezählten Himmlischen*, reiciens sensum quasi a natura datum, quo idem haec formula valeret atque *βασιλεὺς βασιλέων* graeci sermonis, cum Homerico illo *δια ϑεάων* confert.

Sed de integritate huius grammaticae figurae in latino sermone non est dubitandum. Optime enim se habet illud 'deus deorum'. Est figura plane indogermanica — occidentis et orientis aeque propria, nam in linguis latina et graeca non minus quam in sanscrita et persica frequentatur. Immo etiam in hymnis vedicis haec loquendi formula obvia est, nam *devó devā́-nām* compluribus locis legitur, e. gr. RV. I, 31, 1; 68, 2; 94, 13. In inscriptionibus persicis consimilis figura iterum atque iterum repetitur: *khshâyathiya khshâyathiyânâm* i. e. rex regum (vid. Spiegel, Altpers. Keilinschr. p. 2, 42, 46, 48 cet.). Ab aetate igitur carminis Saliaris aliena non est loquendi formula 'deus deorum', ut asseverat Zander (l. c. 55), nam hymni vedici, quos eodem vitio laborare vidimus, duobus fere millibus annorum ante Christum natum vulgo repetuntur (Whitney, Indische Gramm. p. XVI). Neque multo recentiores persicae inscriptiones appellatae carmine Saliari existimari debent. Itaque, quod ad aetatem attinet, notio 'deus deorum' non est reprehendenda. Sed ipsam formulam, eamque legitimam, etiam carpit Zander (l. c.), posterioris latinitatis eam esse affirmans

---

*) Attamen eiusmodi formarum vicissitudo etiam apud Plautum cernitur, e. gr. Amph. v. 45 *deorum* et 53 *deus* sed v. 57 *divos* — atque in inscriptione satis antiqua (C. I. L. I, 632) *deo* et *deivai* una leguntur: *sei deo sei deivae.*

nulloque exemplo aetate Ciceroniana superiore probari. Sed ne hoc quidem plane verum est. Nam et *regum rex* (Capt. 825) et *victor victorum* (Trin. 309) legitur apud Plautum, qui neque homo Iudaeus est et aetate Ciceroniana multo superior.

Porro considerandum nobis est apud Graecos quoque eandem formulam in usu haud infrequenter esse, nam apud Aeschylum supplices (Suppl. v. 524) Iovem his verbis invocant: *ἄναξ ἀνάκτων*. Conferas velim Pers. v. 666 *δέσποτα δεσποτᾶν* et v. 673 *δυνάστα δυναστᾶν* (vel potius *δυνάτα δυνατᾶν* *), ut recte statuit Haupt (Op. II, 155), nam plane respondent Persarum formulae *khshâyathiya khshâyathiyânâm*.

Quod si ita est, nulla relinquitur dubitatio, quin recte se habeat illud '*deus deorum*' a Macrobio carmini Saliari vindicatum, ac cum nemo alius auctoritatem eius, quae in mythologicis **) quidem rebus non adeo nulla est (vid. Bernhardy, Grundr. d. Röm. Litt. [3] p. 769), in dubitationem vocavit, Macrobio multo tutius confidere et possumus et debemus, cui quidem ex ipsis fontibus hauriendi erat postetas.

Sin vero de sensu formulae quaeramus, Hauptio (Op. II, 155) assentiendum puto, quo auctore illa quidem idem valet atque *summus deus aliisque imperans* vel princeps deorum. In inscriptionibus enim persicis (Spiegel, Altpers. Keilinschr. p. 46) interpretatio formulae profecto legitur, nam *mathishta bagânâm* (summus deorum), ut ex continua oratione elucet comparato illo kshâyathiya kshâyathiyânâm, pro loquendi formula *baga bagânâm* (i. e. deus deorum) ponitur. Immo vero Horatius quoque eodem modo explicat huiusmodi formam dicendi, nam *rex regum* (Ep. I, 1, 107) idem valere quod *magnorum maxime regum* (Sat. I, 3, 136), plane est necesse.

At non solum alteram partem versus Saliaris dicti mutandam censuit Zander, sed etiam priorem versus partem (l. c. p. 4) ferro non minus duro aggressus est, ut plus unum vocabulum toto in versu vix intactum sit relictum. — Praeterea si consideremus eum contra gravissimum Macrobi testimonium (Sat. I, 9, 14) deum plane novum (Diovem) intulisse et totam sententiam ita mutasse, ut eam magis ad contemplativam mythologiam nostrae aetatis vel doctrinam

*) Hoc loco Wecklein *δυνάτα δυνάτα* legit ut loco superiore *δέσποτα δεσπότου*, quod inane est. Recte enim admonet Haupt (l. c.) 'non sine quadam orientis populorum imitatione Aeschylum hic locutum esse'.

**) Aliter in rebus etymologicis fieri non est, quod miremur, nam hac in re tota antiquitas vacillat et claudicat. Idem fere in prima natura deorum constituenda interdum fieri eo excusatur, quod Stoicos vulgo sequebatur, qui ex ipsis etymis (falsis) naturam deorum statuere solebant (cfr Cic, N. D. II § 64 sqq.).

stoicam conformaverit, quam ad antiquitatis simplicitatem sentiendi, haud difficile intellectu est, quanti habenda sit eiusmodi corrigendi ratio. Nam plane falso antiqui (Gellius Noct. Att. I, 12, 5 et Macrobius Saturn. I, 15, 14) haec statuerunt: Diespiter idem est atque diei vel lucis pater; sed idem est atque Dies pater *) (fadren Himmel), ut etiam confirmant scr. *Dyâus pitâ* et gr. *Ζεὺς πατὴρ*. Eodem modo se habet *Iu-piter* > **Ieu pater*, *Iou-pater* (umbr. *Iu-pater*) > *Ζεῦ πάτερ* (cfr Brugm. Grundr. d. vgl. gramm. II p. 60). — Notio igitur illa *deus diei* ab aetate carminis Saliaris quam longissime aliena videtur. At quominus Ianus deus deorum appellatus sit in carmine Saliorum, sacerdotum ipsius, nihil omnino, ut vidimus, impedit, praesertim si antiquissimis temporibus summus deus habitus sit.

Multo melius et nulla fere mutatione facta *Havet* (de Saturn. Lat. versu p. 410 — cfr 244, 251 sq.) versum illum Saliarem sic edidit:

Divum em pa cante, divom deo supplicate,

et ita interpretatus est: *Divorum eum patrem canite, divorum deo supplicate.* Consimilis loquendi formula in vedicis hymnis etiam frequentatur, ubi de deo summi ordinis (I, 69, 2) legitur *devânām pitâ* itemque (II, 26, 3) devânām pitáram. Atque ut Macrobio *pater deorum* idem fere atque *deus deorum* (Saturn. I, 9, 16) est, ita poetis Indorum *pitâ devānām* et *devó devānām* idem fere valent, praesertim cum epitheton utrumque de uno eodemque deo adhibitum videamus.

Considerantibus igitur nobis Ianum *patrem* (cfr Macrob. I, 9, 15) vulgo appellari et perpendentibus testimonium Macrobi, quo Ianus in carmine Saliorum *deus deorum* nominatur, veri simillimum videtur hunc versum ad Ianum deum spectare. Neque aliter censuit Bergk (Opusc. I, p. 489). Quam ob rem neque verbis codicum neque testimoniis vetustatis vehementer violatis nomen ipsius dei suo loco forsitan reponere liceat:

*Deivom | [Ian]em | pat^rem **) can | te, dei | vom deo | suppli | cate.*

*) Ita re ipsa vocem etiam interpretatur Varro (l. l. V, 66, ubi est: *Diespiter* — —, *id est dies pater*, fadren Himmel l. Dag), ut *Diespiter* pro **Diiēus-piter* sit (vid. Stolz lat. gramm.[2] p. 331).

**) Forma *patrem* a codicum scriptura magnopere adeo non differt, nam *pta* facile e *pat* est corruptum, "cum in longobardica quae dicitur litteratura *t* similis litterae *a* fiat" (Havet l. c. p. 250). Ad ipsam pronuntiandi rationem illustrandam aliquantum pertinet

Ad tertium schema Haveti (l. c. p. 251) versum redegi, quem ita interpretari licet: *deorum Ianum patrem [aut caelum vel deum Ianum patrem] canite.*

*Ianem *)* proposui et propter codicum lectionem *em* et propter testimonium Tertulliani (Apol. 10), qui Salios Ianem dixisse confirmat: — *exceptus a Iano vel Iane, ut Salii volunt,* nam quod Corssen (Beitr. zur Sprachk. p. 352 ann.) contradixit nihili esse puto, cum praesertim forma illa *Ianis* forma tusca, quae est *Ani* (Deecke, Etr. Forsch. IV, 25) etiam defendatur.

Patrem iam in carmine Saliorum Ianum esse appellatum valde est credibile, nam cognomen illud *pater* per omnes fere aetates latini sermonis de Iano et in poetica et in prosa oratione repetitur (Hor. Sat. II, 6, 20 sq. Ep. I, 16, 59; Verg. Aen. VIII, 357; Iuvenal. Sat. VI, 393; Caton. de re rust. 134; Tertull. Nat. II, 15; Arnob. III, 29. — C. I. L. III, 2881, 3030; Gell. Att. Noct. V, 12: Ianuspater).

Atque hoc quoque cognomine Ianus antiquissimus fuisse deus perhibetur. Nam ut antiquissimae hominum societatis caput erat *pater* vel *pater familias* non rex, ita etiam regnator deorum a principio pater appellatus est, ut qui patriarcharum more regnare crederetur. Sicut in hymnis vedicis deus antiquissimus, qui est *Dyâus*, frequentissime *pitâ* i. e. pater nominatur (cfr Bradke, Dyâus Asura p. 14), dum Varuna et alii dei magni posterioris aetatis *reges* vocantur (Bradke l. c. p. 13). Quocirca non est mirum Iovem etiam apud Romanos regem imprimis appellari. Ab Ennio enim (179) Iuppiter *divomque hominomque pater rex* (Varr. l. l. V, 65) dicitur, nam Iuppiter rex omnium communiter habebatur teste Augustino (c. d. VII, 11), ut qui temporibus illis principatum deorum susciperet, quibus civitatis gubernatores reges vulgo appellari solebant. Nam recte, credo, statuit Mommsen (Röm. Gesch.[7] I, 167), Iovi tum demum principatum inter deos esse datum, cum Capitolium **) arx oppidi esset factum, ubi

---

annotatio Festi p. 205, qua docemur: *Pa pro patre (codd. parte) et po pro potissimum positum est in Saliari carmine*; unde concludo formam, quae est *patrem*, monosyllabam pronuntiari potuisse, ut *pater* apud Plautum saepe monosyllabum est. Immo vero etiam in inscriptionibus forma *patr* invenitur (C. I. L. I, 130 — cfr *Diespitr* ib. 1500 — vid. Stolz, lat. gramm.[2] p. 322, et de ipsa sonorum qualitate confer Sievers, Phon.[2] p. 29 sq.).

*) Eadem suffixi vicissitudo cernitur in voce, quae est *manus* bonus, comparatis formis, quales sunt *mane* (proprie: i god tid), *manes* (divi), *immanis* — cfr Macrob. Sat. I, 3, 13: *nam et Lanuvini mane pro bono dicunt, cicut apud nos quoque contrarium est immane,*

**) vid. Hertzberg, Geschichte von Hellas u. Rom II, p. 47.

Tarquinius Superbus, ut fama est, templum Iovis Capitolini aedificandum curavit (Liv. I, 53, cfr Preller, Röm. Myth.³ p. 205).

Antea arx in Palatino monte fuerat, nam in Palatio prima urbi fundamenta iecit Romulus (Liv. I, 12, 4) et Palatium primum munivit (ib. 7, 3). Praeterea facile dubitare possumus, num re vera prima arx Romae in Palatio fuerit, nam cum Ianus Ianiculi oppidi conditor fuisse dicatur (Arnob. adv. nat. III, 29, I, 36 — cfr August. c. d. VII, 4) primam in Ianiculo, ubi domus regia Iani erat (Preller, Röm. Myth.³ p. 182, Rosch. Lex. Myth. II p. 22 sq.), arcem urbis etiam fuisse suspicari licet et ad haec tempora Iani principatum inter deos pertinuisse. De Ianiculo, vetere sede Iani, Ovidius (Fast. I, 245 sq.) Ianum inducit dicentem:

Arx mea collis erat, quem volgus nomine nostro
nuncupat, haec aetas Ianiculumque vocat

(cfr Verg. Aen. VIII, 357 sq.). Cui sententiae non repugnant haec verba Macrobi (Sat. I, 7, 19): *Regionem istam, quae nunc vocatur Italia, regno Ianus optinuit, qui, ut Hyginus Protarchum Trallianum secutus tradit, cum Camese aeque indigena terram hanc ita participata potentia possidebant, ut regio Camesene, oppidum Ianiculum vocitaretur.* Praeterea quod rex *) Italiae antiquissimus fuisse dicitur, haec ratio tota ab Euhemero eiusque sectatoribus pendet. Sed etiam haec fabula per se nihil aliud probare potest, quam quod iam statuimus, Ianum omnium deorum Italorum fuisse primum.

In Ianiculo templum antiquissimum dei etiam fuit (Deecke, Etr. Forsch. IV, 25), quod fortasse idem est atque domus regia supra dicta. Meritissimo igitur Ianus ab Herodiano (I, 161) *θεὸς ἀρχαιότατοσ τῆς Ἰταλίας ἐπιχώριος* appellatur. Quod idem de Iano narrat Procopius (bell. goth. I, 25) *ὁ Ἰανὸς πρῶτοσ ἦν τῶν ἀρχαίων θεῶν, οὖσ δὲ Ῥωμαῖοι γλώσσῃ τῇ σφετέρᾳ πενάτας* (codd. *πενητας*) *ἐκάλουν*. Ac cum Varro teste Tertulliano (ad nat. II, 12) "antiquissimos deos Iovem, Iunonem et Minervam referat", cum Tertulliano respondere possumus "omnem patrem filiis esse antiquiorem, tam Saturnum Iove quam Caelum (i. e. Ianum) Saturno". A ratione igitur nostra plane non abhorret indicium illud Tertulliani. Praeterea idem Varro teste Augustino (c. d. IV, 23) sententiae nostrae plane congruenter haec commemorat: "*Romulus constituit Ro-*

*) Arnob. adv. Nat. III, 29: — Ianum — ferunt — — in Italia regnasse primum.

manis deos Ianum, Iovem, Martem, Picum, Faunum, Tiberinum, Herculem: unde concludo Ianum principem deum primo nominari, ut cui temporibus illis antiquissimis primus locus tribui soleret.

Ianus antiquissimus erat deus, nam antiquissimis temporibus opem et auxilium Romanis tulit, cum in summo discrimine rerum impetum Sabinorum repulit hostesque ab arce defendit, qua de re nos certiores facit Ovidius (Fast. I p. 259 sqq. — Metam. XIV, 785 sqq.) — cfr Macrob. Sat. I, 9, 18 et Hartung, Rel. d. Röm. II p. 225 et Preller, Röm. Myth.[3] I p. 170. At si nihilo tamen minus Livius (I, 12) Romulum inducit Iovem invocantem, hoc magis errore factum esse potest, quam quod statuit Zander (l c. p. 55): "ut posteriores quidam antiquissimum Ianum dicerent per errorem facilem factum est". Nam errore facilius fieri potest, ut deus, qui aetate scriptoris cuiusdam maximus sit, temporibus superioribus maximus fuisse etiam credatur, quam ut deo, qui iam pridem desierit summus haberi, errore hic honor tribuatur — nam id quidem animi aberratione minime fieri potuisse videtur. Iano suum tribuere ii soli potuerunt, qui ab antiquis meliora et vera didicissent. Livius autem Iovem Romulum invocantem facile ideo fecit, quod inter deum principem suae ipsius aetatis et Romuli non satis distinxerit. Fabula igitur Ovidi, qua Ianus Romanis contra Sabinos auxilium ferre traditur, veritati et rei ipsi melius inservit.

Ianum deum summa aetate et dignitate fuisse etiam eo indicatur, quod asses imagine eius signabantur, ut nummi quidam Graecorum *Ἰὸσ* imaginem praebent. Neque dignitati summae dei repugnat quod ipse rex ab initio sacra eius obibat (Deecke, Etr. Forsch. IV, 26 — Preller, Röm. Myth.[3] I p. 166), quae postea a rege sacrorum sunt facta, qui tamen dignitate ceteros praestitit sacerdotes, ut e loco quodam Gelli (X, 15, 21) cognoscimus: *super flaminem Dialem in convivio, nisi rex sacrificulus haut quisquam alius accumbit.* Idem fere Festus (p. 185) etiam testatur: 'Ordo sacerdotum aestimatur deorum *ordine, ut deus* maximus quisque. *Maximus videtur Rex*, dein Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto pontifex maximus. *Itaque in conviviis solus Rex supra omnis accubat. — — — Rex, quia potentissimus*' (cfr Preller, Röm. Myth.[3] I p. 64 ann. et p. 122) — Quae omnia mihi satis indicare videntur Ianum a principio deum summum Italorum fuisse.

Alia vero res, quae Ianum antiquissimum fuisse deum comprobat, haec est: fama aetatem, qua durabat imperium eius, beatissimam servavit, eaque aurea aetas est appellata. Tunc enim omnibus pacis et fortunae beneficiis genus hu-

manum, virtuti totum deditum, utebatur, nam 'mythici referunt', ut est apud Macrobium (Saturn. I, 9, 2), 'regnante Iano omnium domos religione ac sanctitate fuisse munitas'. Nondum enim dei ab hominibus separati vitam degerunt, sed hominibus immixti vivebant. Quare Ovidius deum ipsum hac de aetate profitentem inducit:

Tunc ego regnabam, cum terra deorum
Esset et humanis numina mixta locis.

Haec erat quasi infantia populi romani, ac cum omnes fere — et homines singuli et gentes — infantiam suam felicissimam et beatissimam semper existiment, non est mirum, ita etiam populo romano esse visum. Itaque ante Iovem et Saturnum in Italia Ianus erat, ut fama est, primumque deis templa fecit ritusque instituit (Macrob. Saturn. I, 9, 3). Unde apparet eum, si quidem rem more Euhemeri consideremus, et dignitate et tempore illos anteisse. Princeps erat deus, deus universi, unde profecta est opinio illa pervulgata Ianum tantummodo fuisse initiorum deum.

Apud Tuscos *Ani* i. e. Ianus primam inter deos obtinuit sedem, ut e monumento quodam aereo Placentino, de quo agit Deecke, Etr. Forsch. IV, 24 sqq., cognitum habemus. Diviserunt enim ad fulgura observanda Tusci caelum in sedecim partes, ut loco Pliniano (H. N. II, 54, 143) etiam comprobatur: 'In sedecim partes caelum in eo spectu divisere Tusci. prima est a septemtrionibus ad aequinoctialem exortum, secunda ad meridiem, tertia ad aequinoctialem occasum, quarta obtinet quod reliquum est ab occasu ad septemtriones. has iterum in quaternas divisere partes, ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellavere dextras'. In prima harum partium vel regionum sedes erat Iani (Deecke, Etr. Forsch. IV, 25). Cuius rei causa non est, ut opinantur Deecke (l. c. 26) et alii, quod Ianus initiorum sit deus, sed hanc causam esse existimo, quod Ianus re vera a principio deus summus haberetur, nam deum principem prima decuit regio. Huc spectare videntur verba Lydi (de mens. IV, 2): *δύναμιν αὐτὸν εἶναι τινα βούλεται ἐφ' ἑκατέρας Ἄρκτου τεταγμένην.* Idem fortasse sibi vult templum eius in *regione septemtrionali* fori romani situm (Liv. I, 19, 2 — cfr Roscheri Lex. Mythol. II, p. 15 sp. — Jordan, Top. II, p. 214).

Ianus caeli erat deus, ut iam supra constituimus, quare etiam cognomina eius caelestis dei naturam illustrare imprimis debent. Ac cum deum illum e

monumentis et litterarum et artis gemina facie praeditum norimus, hac facie dupplici rem vel qualitatem naturae declarari consentaneum est. Haec enim cognomina omnia *anceps*, *biceps*, *biformis*, *geminus* *) ad dupplicem faciem spectant. Ac quamquam quid significet gemina facies intellectu non adeo difficile est, multis tamen variisque modis res est accepta perperamque explicata. Fuerunt enim, qui geminam faciem ad commune Romuli et Tati regnum referrent: ita quidem Servius (ad Aen. I, 291): 'unde et Ianus ipse duas facies habet, quasi ut ostendat duorum regum coitionem' (cfr Serv. ad Aen. XII, 198), Niebuhr (Röm. Gesch. I p. 166, Schwenck (Myth. d. Röm. p. 132). — Alii vero imagines bifrontes Ianum et Saturnum ostendere putarunt, alii Apollinem et Dianam (Macrob. Saturn. I, 9, 5). Plutarchus (Quaest. Roman. c. 22) dupplicem dedit interpretationem: *πότερον ὅτι . . μέταβαλε καὶ γλῶτταν καὶ δίαιταν; ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν Ἰταλίαν . . εἰς ἕτερον βίου σχῆμα . . μετέβαλε καὶ μετεκόσμησε.* Interpretationem Varronis magis etiam miram Augustinus (c. d. VII, 8) affert: 'Duas enim facies ante et retro habere dicitur, quod hiatus noster, cum os aperimus, mundo similis videatur, — — — a quo hiatu oris et fores esse aditum ad dentes versus et introrsus ad fauces'. Gavius vero Bassus Ianum geminum eo spectare putat, quod hominum preces ab hominibus ferat ad deos, cuius sententia a Lydo (de mens. IV, 2) est servata: *ταύτῃ δίμορφοσ εἶναι λέγεται ἔκ τε τῆς πρὸσ ἡμᾶσ ἔκ τε τῆς πρὸσ θεοὺς ὄψεωσ* (cfr Macrob. Saturn. I, 9, 9 et 13: 'quasi superum atque inferum ianitorem'). Sed alii aliter de hac re senserunt (cfr etiam Hartung, Rel. der Röm. II p. 220 sq.).

Attamen huiuscemodi opinionum commenta omittamus et quasi philosophanti ipsae naturae oboediamus. Atque Macrobius (Saturn. I, 7, 20) vere mihi iam videtur faciem geminam esse interpretatus: 'creditur, inquit, (Ianus) geminam faciem praetulisse, ut quae ante quaeque post tergum essent intueretur', quamquam verba illa non ita sunt accipienda, ut ipse ea vult accepta, pergit enim: quod procul dubio ad prudentiam regis sollertiamque referendum est, qui et praeterita nosset et futura prospiceret'. Quae interpratatio alio loco (Saturn. I, 9, 4) verbis aliquantum mutatis ita exprimitur: 'quod et praeterita sciverit et fu-

---

*) Imagines et statuae graecae Mercuri dei consimiles sunt, sed prorsus aliam rem mihi declarare videntur. Sed de hac re alio libro agere in animo mihi est.

tura providerit'. Quae tamen interpretatio magis philosophi propria est quam hominis simplicis in rerum natura contemplanda versantis.

Gemina vero facies mihi quidem videtur imago esse simplicissima et antiquissima dei omnia videntis et scientis. Nam priscos illos homines deum principem et omnipotentem et omnia scientem esse sibi iam persuasisse ex mythologia comparativa, quam vocant, satis cognitum est (cfr Darmesteter, Ormazd et Ahriman p. 28 et 50 et librum meum Indog. h. g. p. 32, 57, 68).

Ac Graeci quoque deum summum pluribus oculis ornarunt, nam *Ζεὺς κύκλωψ* vel *τριόφθαλμος* in fabulis Argivorum commemoratur (Mayer, Giganten u. Titanen p. 113 sqq.), quamquam et a scriptoribus et ab artificibus tres illi oculi male sunt intellecti et collocati. Tertius enim oculus occipiti est tribuendus, ut, quae postea essent, deus intueri posset. Eodem modo tertius oculus Argi, Ius custodis, a Iunone in occipitio (cfr Mayer l. c. p. 115) collocatus existimandus est. Melius etiam Romani rei consuluerunt Ianum non solum bifrontem, sed etiam quadrifrontem fingentes, 'ut demonstrat simulacrum eius Faleris advectum' (Macrob. I, 9, 13). Bifrontis altera facies conversa erat ad orientem altera ad occidentem solem, ut testatur Ovidius (Fast. I, 139):

Sic ego prospicio caelestis ianitor aulae
Eoas partes hesperiasque simul.

Idem simulacrum Procopius (de bello goth. I, 25) eodem fere modo describit: *καὶ τοῦ προσώπου θάτερον μὲν πρὸσ ἀνίσχοντα, τὸ δὲ ἕτερον πρὸσ δύοντα ἥλιον τέτραπται, θύραι τε χαλκαὶ ἐφ' ἑκατέρῳ προσώπῳ εἰσιν.*

Sol igitur, caeli vel Iani oculus, origo imaginis prima est, et quadrifrons deus quasi perfectior imago dei omnia videntis, nam bifrons quae retro et ante sint intuetur, quadrifrons autem etiam quae a lateribus sint videt.

Iani dupplex vel quadruplex facies imago est solis in omnes partes semper circumspicientis. Quid igitur? Nonne Ianus sol est? Minime, oculus tantummodo eius est, nihil amplius. — A sententia nostra magnopere admodum non differt explicatio Macrobi (l. c. § 14), qui quidem Ianum quadriformem 'quasi universa climata maiestate complexum' interpretatur.

Servius (ad Aen. VII, 607) Ianum quadrifrontem ad quattuor anni tempora spectare putat. Zander vero plane novam invenit interpretationem quarti capitis, quod 'Solem de media nocte ante diluculum regiones caeli ad septentriones peragrantem' significare arbitratur, — quae tamen interpretatio subtilior videtur,

quam quae simplici ingenio hominum priscorum, qui quidem media nocte solis faciem vix umquam conspexerant, adiudicanda sit. Quadrifrons re vera sol dici potest, ut qui unoquoque temporis momento in omnes mundi partes circumspiciat, simul in orientem et occidentem ut in septentriones et meridiem (vel polum australem) spectans omniaque collustrans. Quam ob rem ab hominibus antiquissimis, quibus deos quoque ad humanam speciem accommodare opus erat, deus, ut omnia videret, oculos et facies in circuitu habere necessario existimandus erat.

Cum Iano gemino arcte coniunctum vulgo existimant Ianum *matutinum*, quem matutini temporis vel luminis patrem habuerunt. Nam ita iam Horatius cognomen illud intellexisse videtur, cum (Sat. II, 6, 20 sqq.) scribit:

Matutine pater, seu Iane libentius audis,
Unde homines operum primos vitaeque labores
Instituunt — sic dis placitum — tu carminis esto
Principium — — — —

Non multo aliter sentit Buttmannus, qui (Mythol. II p. 76) Ianum matutinum homines deis diei ingredientis tradere dicit, quemque primo quoque mane homines invocare solebant (Hartung. Rel. d. Röm. II p. 221 — Heffter, Rel. d. Griechen u. Römer p. 567, — Preller, Röm. Myth.[3] I p. 169 sq.), ut labori industriaeque ipsorum prospiceret efficeretque, ut omnia facta et cogitata prospere feliciterque evenirent.

Charles Ploix (Nature des dieux p. 100), qui Ianum pro deo crepusculi habet, affirmat cognomen illud *matutini* plane ostendere Ianum crepusculi vicem repraesentantem, quare Ianus geminus, 'qui semper videt ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω' (Sen. de mort. Claud. 9), meritissimo vocari posse crepusculi matutini et vespertini vicarius ei videtur. Sed si meminerimus virum illum doctissimum omnes deos Iove, Neptuno, Plutone exceptis pro deis crepusculi habere, nulla fere est causa, cur multa fides ei habeatur, quippe qui res mythologicas non ab omni parte ponderet, sed in una quasi haereat. Ac ne solis quidem deus cognomine matutini Ianus esse convincitur, quod quidem aeque bene ad caelum serenum vel lucem caelestem quadrat, quippe cum Iuppiter ipse, quem nemo fere dubitat caeli appellare deum, matutini cognomen etiam habet (Martial. IV, 8) *).

*) *Tunc admitte iocos: gressu timet ire licenti*
Ad matutinum nostra Thalia Iovem.

Quae intercedat ratio inter *Ianum Matutinum* et *Matrem Matutam*, non satis est manifestum. Haec enim eadem atque Ops*) (dea Dia) est, quae ut Ianus *Consivius* ipsa *Consivia* vel *Consiva* appellatur (Fest. p. 186 b). Ceterum Ops Iano *patri* etiam eo respondet, quod *mater* appellatur (Varr. l. l. V, 64), ut omnes nubium deae (cfr Meyer l. c. p. 614 et Deecke, Etr. Forsch. IV p. 33). Praeterea si consideremus Festum (p. 122) *Matrem Matutam* matre bona interpretari: *Matrem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant*, facile adducimur, ut credamus Ianum quoque ob bonitatem *Matutinum* appellatum fuisse. Ac qua alia re *bonum* se magis praestare potuit nisi luce hominibus allata vel, ut rem aliter exprimam, splendentem se hominibus offerendo et faciem, nocte modo obrutam, denuo ostendendo?

Ianum etiam *Iunonium* cognominatum esse Macrobius (Saturn. I, 15, 19) commemorat, hanc causam interserens: 'quod illi deo omnis ingressus, huic deae cuncti Kalendarum dies videntur ascripti'. Quam eandem interpretationem loco superiore (Saturn. I, 9, 16) idem praebet: 'Iunonium (invocamus) quasi non solum mensis Ianuarii sed mensium omnium ingressus tenentem; in ditione autem Iunonis sunt omnes Kalendae'. Merito Mayer (Giganten u. Tit. p. 82 ann. 69) hanc interpretationem in dubitationem vocavit, ut quae non sufficiens sit. Ac re vera mirum esset, si Kalendis Iunoni et Iano sacratis deus summus ideo, quod istiusmodi honorem cum dea inferiore communem haberet, cognomen inferioris susciperet superior. Ego contra puto. *Calendaris* enim potius nuncupari debuisset (cfr Merkel, Ov. Fast. p. CCXLII). Neque recte duodecim illae arae pro totidem mensibus dedicatae (Macrob. I, 9, 16) ad Iunonii cognomen referri videntur, ut animadvertit idem Merkelius (l. c. p. CCXXVIII). Falso etiam Macrobius (Saturn. I, 15, 20) vim et naturam Iunonis constituit, quam eandem lunam esse arbitratur. Philosophorum enim commentis in hunc errorem raptus est. Aetatis enim posterioris haec opinio est, ut quae physicorum rationi debeatur, teste Ioanne Lydo (de mens. III, 7); *οἱ γὰρ φυσικοὶ — — — Δία μὲν τὸν ἥλιον, Ἥραν δὲ τὴν σελήνην ἐνόμιζον εἶναι* et IV, 29: *κατὰ δὲ τὴν πρώτην τοῦ Μαρτίου μηνὸς Ἥραν ἐτίμων, οἱονεὶ τὴν σελήνην διὰ τὴν νεουηνίαν.* — Neque multo aliter eandem rem enarrat Macrobius (Saturn. I, 15, 20), scripsit enim: 'cum enim initia mensium maiores nostri ab exortu lunae servaverint, iure Iunoni addixerunt Kalendas, lunam ac Iunonem eandem putantes: vel quia

*) Meyer, Indog. Mythen II p. 614.

luna per aerem meat, — — — Iuno autem aeris arbitra est'. Neque is quidem stoicam non sequitur doctrinam, ut hic locus Ciceronis (N. D. II c. 26 § 66) planissime confirmat: 'aer autem, ut stoici disputant, interiectus inter mare et caelum, Iunonis nomine consecratur; quae est soror et coniux Iovis, quod ei similitudo est aetheris et cum eo summa coniunctio'. Stoici igitur, ut erant audaces in verbis comparandis, voces, quales sunt ἀήρ et Ἥρα, inter se confuderunt, easque origine et vi consimiles existimarunt — quo tamen nihil perversius. Ac cum appareat naturam deae concessa vocum illarum cognatione eos statuisse, iam per se intelligitur, quanti habenda sit opinio ista.

Magni momenti non sunt quae Servius (Verg. Aen. VII, 610) ad cognomen illud declarandum perhibet: 'Idem *Iunonius*, inde pulchre Iuno portas aperire inducitur' (cfr Serv. ad Aen. II p. 610). Recte vero monuit Meyer (Indog. Mythen II p. 614) ab hominibus posterioris aetatis tantummodo Iunonem ac lunam eandem esse existimatam. Primo enim nubis fuit dea, et haud scio, an nubis fuerit dea tempestatem cum tonitribus parturientis, unde *Lucina* est vocata ut Iuppiter ipse *Lucetius;* quocirca non adeo perverse Marc. Capella (II c. 5) disputat: 'Te, inquit, Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari'. Nam ut cognomen Iovis *Lucetii* ita etiam cognomina Iunonis *Lucinae* et *Lucetiae* ad lumen fulminis esse referenda puto et inde explicanda.

Ac re vera temporibus aliis aliter ipsius Iunonis deae vis est definita et accepta, ut luculenter demonstrat hic locus Augustini (c. d. VII, 16): '*Quandoquidem etiam matrem Magnam eandem Cererem volunt, quam nihil aliud dicunt esse quam Terram eamque perhibent et Iunonem*' — (cfr Varr. l. l. V, 69). Eodem modo Δημήτηρ quasi Γημήτηρ (Cic. N. D. II c. 26) a Graecis nominata esse (falso *) dicitur. Sed Tellus vel Terra eadem atque Ops etiam habetur (Aug. c. d. VII, 24). Dea igitur caeli et nubium in deam aeris, lunae, terrae **) denique mutata est — acceptis poetarum et philosophorum commentis.

---

*) Δ pro γ in δᾶ plane fictum est, ut docet Ahrensius (dial. dor. p 80); 'ubicunque terrae significatio paullo certior est, in omnibus Doricae dialecti fontibus γᾶ legitur, cfr p. 130, 197 [2]) et librum meum: Quæst. etym. et gr. p. 27 sq.

**) Aug. c. d. VII, 16: *Itemque Iano secundarum causarum domina et Iuno aer et Iuno terra — — — Sic et Iuno est terra et mater magna et Ceres.*

His ita constitutis iam per se apparet Macrobium falso docuisse Iunonem — si primam deae naturam quæras — eandem esse ac lunam, unde facile sequitur, ut cognomen illud Iunonii aeque male sit interpretatus, quippe cum interpretationes eius commentis philosophorum solis nitantur neque ad opiniones priscorum hominum sint accommodatae. Quam ob rem interpretatio eius est respuenda.

Meliorem vero interpretationem cognominis appellati Labeo (ap. Lyd. IV, 1) perhibet, qui quidem Iunonium idem significare dicit atque aerium: *Ἰουνώνιον τουτέστιν ἀέριον*. Quae saltem interpretatio propius accedit ad primariam Iunonis significationem, cuius nominis originem e radice *div*, quae in forma *Diovei* (osc. *Diúvei*) cernitur, repetivimus. Nomen vero Iunonis Grassmann (KZ XVI, 161) per has figuras **div-ona*, **di-ōna*, **dj-ona*, **dj-ūn-on* explicat, dum a Corsseno (Ausspr.[2] I p. 212 et 668) Iuno > *Diou-n-on ad stirpem *Diov* (*Diou-na, *Iuna, Iu-n-on) refertur. — Quod si ita est, cognomen *Iunonii* nihil aliud significare posse mihi videtur quam *splendidum* vel *caelestem*, quo igitur cognomine Ianus caeli deus esse tantummodo indicatur.

Societatem aliquam et coniunctionem inter Ianum et Iunonem olim fuisse communis quidam utriusque numinis cultus etiam ostendit, cuius indicia et apud Macrobium (Saturn. I, 9, 16) et Ovidium (Fast. 265 sqq.) et Vergilium (Aen. VII, 620—623) exstant (cfr Merkel l. c. CCXLII). Communis cultus Iano Curiatio et Iunoni Sororiae fuit teste Dionysio Hal. 3, 22 (cfr Merkel, l. c.). Eiusdem cultus mentionem etiam facit Festus (p. 297: *'duo tigilla tertio superiecto, quae pater eius constituerat, velut sub iugum missus subit, consecratisque ibi aris Iunoni Sororiae et Iano Curiatio liberatus omni noxa sceleris est auguriis approbantibus* cet. et p. 307: *Sororium tigillum appellabatur locus sacer in honorem Iunonis, quem Horatius quidam statuerat causa sororis a se interfectae ob suam expiationem'*.

Consivius etiam cognominatus est Ianus, — quod quidem cognomen non minorem quam cognomina iam dicta praebet difficultatem interpretanti. Itaque mythologi nonnulli huius seculi, qui vocabulum a *conserendo* duxerunt, Ianum Consivium deum sationis esse simpliciter iudicarunt: quo in numero sunt Hartung (Rel. der Römer II p. 224), Schwenck (Myth. d. Römer p. 133), Heffter (Rel. d. Gr. u. Röm. p. 567). Hartung agricolas, cum vernis temporibus ad agros arandos se conferrent, Ianum Consivium invocare esse solitos etiam narrat (l. c.).

Paullo secus antiqui hoc cognomen intellexerunt, de origine vocis et significatione idem fere senstientes, attamen non ad segetis sationes, sed ad propaginem generis humani nomen illud spectare existimarunt. Ita quidem Macrobius censet (Saturn. I, 9, 16), Consivium ita interpretatus: *'Consivium a conserendo, id est a propagine generis humani, quae Iano auctore conseritur'.* Neque multo aliter Augustinus (c. d. VII, 2) eadem de re iudicat: 'ipse primum Ianus cum puerperium concipitur — — — aditum aperit recipiendo semini; — quae eadem sententia (ib. VI, 9) repetitur: 'Varro — — — enumerare deos coepit a conceptione hominis, quorum numerum est exorsus a Iano' et VII, 3: 'illi etiam quod aperitur conceptui non immerito adtribui'. Eodem modo Tertullianus (ad nat. II, 11) nomen enodat: 'ut sit deus Consevius quidam, qui consationibus concubitalibus praesit. — Preller autem, qui (Röm. Myth. [3] I p. 171) cognomen Consivii eodem sensu intellectum vult, Ianum Consivium omnium animantium auctorem esse censet.

Iterpretationem plane novam eiusdem cognominis praebuit Cornelius Labeo (Lyd. IV, 1): *ὁ Λαβεὼν οὖν φησιν αὐτὸν καλεῖσθαι Ἰανὸν Κοσίβιον τουτέστι βουλαῖον.* Consivium igitur et *consiliarium* idem significare statuit. Quae saltem significatio non plane perversa mihi videtur, nam si ita est, Consivius ad Consum est referendum, qui teste Festo (p. 41) deus consilii erat: *Consualia ludi dicebantur, quos in honorem Consi faciebant, quem deum consilii putabant.*

Quod idem confirmatur loco Plutarcheo (Rom. XIV, 6): *ὠνόμαζον δὲ τὸν θεὸν Κῶνσον εἴτε βουλαῖον ὄντα — — — εἴτε ἵππιον Ποσειδῶ.* Potius credo Ianum Consivium esse deum rerum occultarum et res occultas patefacientem. Nam ad verbum *condendi* nomen illud referendum puto, ut Consus > **Cond-tus* sit (cfr Stolz, lat. gr. [2] p. 307). Praeterea non Consivius sed Consevius iusta est forma, — si a radice *se* est petenda — quam formam Tertullianus (ad nat. II, 11) etiam habet, si Oehlero credendum est — cum formae cognatae, quales sunt *sevi, se-minium, seminare, sementis* cet., omnes *e* praebeant (cfr tamen Stolz, lat. gr. [2] § 8 et Corssen Ausspr. [2] I p. 418 ann.). Sed utra interpretatio vera sit, non facile est diiudicare, ac si formam solam respicimus, in medio res prope est relinquenda.

Sed ipsa rerum natura magis comprobatur interpretatio eorum, qui Consivium procreatorem vel auctorem vitae animalis habeant. Nam haec opinio valde ad sententiam eorum quadrat, qui Ianum creatorem existiment, Saliorum quoque carminibus confirmatam, ut iam supra diximus. Ianus igitur Consivius

quasi conservator est rei creatae vel creator perpetuus: luce enim caelesti et aquis caelestibus omnium animantium genera recreat reficitque. Nam e deo caelesti pluvias aliasque res aerias pendere existimatas esse magnopere est credibile. Veri simile autem non est imperium summi dei antiquissimis temporibus finibus angustioribus terminatum fuisse quam temporibus illis, quibus principatus deorum Iovi, qui etiam caeli erat deus, iam delatus esset. Hoc etiam id indicare videtur, quod Ianus creator fontium appellatur. Fontis vel Fonti, cuius ara in Ianiculo fuit (Cic. Leg. II, 22, 56), parens est (Charles Ploix, Nat d. dieux p. 107). Imbribus enim coelo demissis aquae terrestres ali videntur. Neque sine ullo momento est, quod Iuturna, dea vel nympha fontium et aquarum, uxor Iani esse dicitur (Arnob. adv. nat. III, 29). Quae quidem dea, sive ipsam nominis vim et originem respicis sive necessitudines, quae ei cum Iove intercedant, magis caelestis quam terrestris dea esse videbitur. E dea caelestium aquarum terrestrium dea est facta. Neque id mirum est, siquidem consideramus ipsam Iunonem pro Terra postremum esse habitam, ut iam supra commemoravimus.

Quirinus Ianus etiam cognominatus est teste Macrobio (Sat. I, 9, 15): *In sacris quoque invocamus Ianum Geminum, Ianum patrem, Ianum Iunonium, Ianum Consivium, Ianum Quirinum* cet. — Hoc cognomen idem Macrobius (l. c. 16) de deo belli interpretatur: "Quirinum quasi bellorum potentem ab hasta, quam Sabini curin vocant". De origine nominis *Quirini* omnes fere antiqui scriptores idem statuerunt, ad vocubulum Sabinum, quod est curis, id omnes referentes, ut Vergilius (Fast. II, 475 sq.):

Sive quod hasta curis priscis est dicta Sabinis,
Bellicus a telo venit in astra deus, —

Festus (p. 49 s. v. curis): *Curis est Sabine hasta. Unde Romulus Quirinus, quia eam ferebat, est dictus; et Romani a Quirino Quirites* — continue pergens: *Curitim Iunonem appellabant, quia eandem fere hastam putabant.* De cognomine Romuli Festus egit. Quin de Iano deo mentionem fecerit Macrobius (l. c. 16), nulla esse potest dubitatio, sed cum apud Suetonium (Aug. c. 22) sit: *Ianum Quirinum — ter clusit*, hoc ad templum dei clausum pertinere aeque est manifestum — metonymice enim nomen dei hic pro templo positum est *). Eandem formulam

*) Male de hac re existimavit Buttmannus, Myth. II p. 82 sq.

Horatius (carm. IV, 15, 9) variatam ita reddidit: *Ianum Quirini clausit*, quam tamen Gronovius corrigendam censuit: *Ianum Quirinum clausit* — quod saltem ad usum vulgatum *) maxime convenit, nam apud Festum quoque (p. 189) legimus: *Iani Quirino agnum marem caedito.* Scripturam vero codicum Horatianorum Kiessling eo defendit, quod *Ianus* pro appellativo hic acceptum sit. Ac re vera haud aliter a Varrone (l. l. V, 165) sacellum **) Iani *porta Ianualis* appellatur, ut a Vergilio (Aen. VII, 607) gemini portae belli et ab Augustino (c. d. III, 10) Iani gemini portae commemorantur (cfr Jordan, Top. II p. 345 sq.). Sed quomodocumque se res habet, plane pro certo affirmari potest Iano cognomen Quirini fuisse ***) Ianumque Quirinum deum bellorum tutelarem habitum esse. Ad deum belli etiam spectat cognominis Quirini interpretatio Labeonis (Lyd. de mens. IV, 1): *Κυρῖνον, ὡσανεί. πρόμαχον.* Neque multum ab hoc interpretamento differt quod ib. IV, 2 editur: *φασὶ δὲ τὸν αὐτὸν καὶ ἔφορον τῶν ἐπὶ πόλεμον ὁρμώντων τυγχάνειν.* — Ianum Quirinum †) deum bellorum praesidem habitum esse quodammodo etiam indicat locus Livianus (I, 32, 9), ubi fetialis bellum his verbis indicit: *audi Iuppiter et tu, Iane Quirine, diique omnes caelestes* cet.

Ad originem vocabuli Quirini illustrandam nihil effecerunt interpretes veteres vocabulum, quod est curis, in comparationem vocando, nam etiamsi eadem sit origine utraque vox, alteri altera nihil fere luminis affert. Cognatae tamen esse videntur.

De origine et vi vocabuli recte statuit primus Fröhde (Bezzenb. Beitr. VII, 100): Dem gr. *πολῖτισ* (auch beiname der Athene) "bürgerin" entspricht nach bildung und bedeutung lat. *Curîtis Quirîtis* (beiname der Iuno) von *Quirît* — "bürger"; der grundstamm ist *Curi* aus *Quiri* — in *Cures* "burg", wozu auch *Quirînus* (vgl. *πολιεύσ*) gehört.

At quaenam est radix, quaenam primaria significatio vocis *Quirini?* Radix indoeuropaea *quer* est statuenda, quae *robustum* vel *firmum* esse significare

*) Ad exemplum haud dissimile Suetoni (Neron. 14): *Ianum geminum clausit* allegare hic non est alienum, nam ut male se habuisset *Ianum Gemini*. male se etiam habet *Ianum Quirini.*

**) vid. Herm. IV, 252 sq.

***) Herm. IV, 235 ann.

†) E Iano Quirino deus proprius et sui potens factus est Quirinus, bellorum praeses et quasi alter Mars, quorum uterque qualitatem quandam primi dei reddit et ab eo seiunctus est existimandus (cfr Mommsen, Röm. Gesch. I [8], p. 160 — Serv. ad Aen VII, 610).

videtur: ad eandem radicem vocabulum *quercus* pertinere iudico. Quercus enim aptissime arbor robusta appellatur, ut *robur* et querc s genus et firmitatem vel vim significat. Quae quidem opinio etiam confirmatur interpretatione Festi (p. 259): *quercus dicitur, quod id genus arboris grave sit ac durum, — Querqueram enim gravem et magnam quidam putant dici.*

Cures vel *curis* mihi idem valere videtur atque locus munitus vel arx, nostrum *borg*. Deus arcis, quae quasi cor et caput urbis erat, Ianus Quirinus est habitus, neque aliud Quirinus sibi vult quam *arcis tutor*. Veterrima Romae arx in Ianiculo erat, ut etiam indicant hi versus Ovidi (Fast. I, 245):

Arx mea collis erat, ultrix quem nomine nostro
Nuncupat haec aetas Ianiculumque vocat.

Iano Quirino respondet graecorum *Ζεὺς πολιεὺς* (Plut. Dem. 42, Coriol 3). A Latinis vero posteriore quidem aetate tutela urbis Iovi est delata eique huius muneris gratia nomen Statoris inditum, quod nomen Livius (I, 12, 6) recte interpretatur, cui prorsus assentitur Seneca (de benef. IV, 7), ampliorem tamen vim voci illi attribuens: *quod stant beneficio eius omnia.*

Quirinus, e radice *quer* > **Quer-inus* est, ut inquilinus > *inquelinus et exquiliae, exquilinus > *exquel-iae, *ex-quel-inus (cfr Mommsen Röm. Gesch.[8] I p. 51) e radice quel, cfr Stolz, lat. gramm.[2] p. 320. Plura exempla eiusmodi litterae *e* in *i* mutationis in latinitate posteriore a Corsseno (Aussprr. II p. 358) enumerantur. Suffixi et radicis vocales mutua vi sunt assimulatae, nam explicatio Corsseni et p. 356 l. c. et p. 358 falsa est.

Formae autem *Cur-i-tis*, *Cures* cet. ad levissimam radicis formam q^{r}_{o} sunt redigendae (cfr Stolz lat. gr.[2] § 43), nam e **Quiri* — > **Queri *)* statim explicari non potest *Curi* — ut vult Fröhde (l. c.). Quia tutor erat arcis, quae quasi sedes ac domicilium imperi erat, bellorum praeses facile factus est Ianus. Cuius muneris manifestissimum signum est templum eius belli tempore apertum, pace vero clausum (Varr. l. l. V, 165; Liv. I, 19, 2). Qui quidem mos, etsi diversissimis modis intellectus, satis aperte deum belli indicat. Immo vero ipsae portae sacelli *geminae portae belli* (Verg. Aen. VII, 607) nominantur, ut deus ipse a Lucano *belliger* appellatur (Phars. I, 62):

— — — *Pax missa per orbem*
Ferrea belligeri compescat limina Iani.

---

*) Cfr Jordan, Herm. IV p. 235 [1]).

Neque aliter de eodem templo commemorat Plutarchus (Num. 20): *ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ νεὼς ἐν Ῥώμῃ δίθυρος, ὅν πολέμου πύλην καλοῦσιν.*

Cur belli tempore claudi et pace aperiri soleret templum Iani, ne inter antiquos quidem scriptores satis convenit. Alii enim putarunt belli genium pace templo inclusum et a Iano custoditum, cum bellum esset susceptum, ad hostes depellendos emitti. Ita Vergilio (Aen. I, 293 sqq.) persuasum esse videtur: — — *dirae ferro et compagibus artis claudentur Belli portae; Furor impius intus salva sedens super arma et centum vinctum aënis post tergum nodis fremet horridus ore cruento.* Alio loco (Aen. VII, 610) Ianum ipsum custodem inducit idem: — *nec custos absistit limine Ianus.* — Alii contra templum Iani non belli sedem et domicilium putarunt sed ipsius pacis portasque quasi ad pacem intra muros servandam claudi solere. Hanc sententiam amplexi sunt et Horatius (Ep. II, 1, 255):

Claustraque custodem pacis cohibentia Ianum et Ovidius (Fast. I, 281):

Pace fores obdo, ne qua discedere possit.

Inter mythologos vero recentiores Charles Ploix (nat. des dieux p. 108) sacellum rebus suspensis apertum fuisse opinatur, ne perpetui auxilii societas inter deum et illos, qui fidei eius se commisissent, dirimeretur. Sententiam haud dissimilem Heyne (Exc. ad Aen. I, 9) amplexus est: — "bello indicto prisco more patebat adeuntibus et supplicantibus". Atque aliquid saltem veri vel veri similis unicuique harum opinionum facile inest. Rei vero summa in eo vertitur, quod Ianus a principio pro deo belli est habitus. Nam arcis tutelaris deus (Quirinus) belli deus sit, paene est necesse. Ac cum arx quasi sedes imperi esset, custodem arcis totius imperi romani custodem etiam existimatum esse consentaneum est. Sin vero ad imperium conservandum bello erat opus, ad bellum gerendum se contulit deus. Bellum enim quasi via erat, qua pax et tranquillitas turbata civitati pararetur. Itaque tutor arcis et civitatis etiam belli deus est factus. Ac cum ad imperium defendendum vel stabiliendum proficisceretur exercitus, sine dubio deum ipsum sequi prisci illi homines credebant. Haec enim persuasio, opinor, causa erat prima templi aperiendi. Nam recte, puto, dicit Preller (Röm. Myth.[3] I p, 174) templum apertum deum ipsum comitem exercitui se praebentem symbolice ostendere — Horam Quirini, deam illam felicitatis, de qua mentionem fecit Plutarchus in Quaest. Rom. c. 46, in comparationem vocans. Neque aliter concludit Macrobius (Saturn. I, 9, 18): *Ea re placitum, ut belli tempore velut ad urbis auxilium profecto deo fores resera-*

rentur. Victoria vero reportata et tranquillititate rei publicae recuperata templum dei, victoriae datoris, est clausum.

Fabula illa, ubi Macrobius *) (I, 9, 17) enarrat originem et causam huius consuetudinis Ianum, deum belli desribit. Inducitur enim deus ipse Romanis summo in periculo auxilium ferens, portas, quas milites frustra hostibus irruentibus claudere conantur, aperiens, hostes irruentes conficiens. Nec mirum est Romanos bellicam artem summo deo iam antiquissimis temporibus attribuisse. Neque id Romani soli fecerunt, aliae quoque gentes indogermanicae eodem modo egerunt. Nam ut exempla afferam, Germani quoque summum deum, qui *Ziu* vel *Tyr* est nominatus, belli deum esse existimarunt. Immo etiam, quamquam summi dei muneribus omnibus perfunctus esse existimandus est (nam etymologice plane respondet summis deis cognatarum gentium, qui sunt Dyâus, *Ζεὺς*, Iuppiter), belli tantummodo deus posteriore aetate est habitus (cfr librum meum: Indog. h. g. p. 88).

Ianus Quirinus eodem fere munere atque Iuppiter Capitolinus, qui posteriore aetate civitatis arcis erat tutor, a principio perfunctus esse videtur, si quidem cognomina illa, ut videtur, idem significant. Capitolium enim ad vocabulum *capitis* est referendum, unde facile sequitur, ut primaria significatio sit *hufvudort*, *hufvudplats* **) i. e. borg vel arx (cfr Corss. Ausspr.[2] II p. 85, Preller R. M.[3] p. 217). Ab hac sententia nihil fere differt Jordani, cui Capitolium idem atque "Hauptberg" valet (Top. I p. 180). — Praeterea commemorandum est nomen antiquioris Sabinorum arcis in recentiorem in monte Tarpeio esse

---

*) — — bello caulae eius patent, pace clauduntur. Huius autem rei haec causa narratur. Cum bello Sabino quod virginum raptarum gratia commissum est Romani portam, quae sub radicibus collis Viminalis erat, quae postea ex eventu Ianualis vocata est, claudere festinarent, quia in ipsam hostes ruebant: postquam est clausa, mox sponte patefacta est: cumque iterum ac tertio idem contigisset, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, custodes steterunt: cumque ex alia parte acerrimo praelio certaretur, subito fama pertulit fusos a Tatio notros. Quam ob causam Romani, qui aditum tuebantur, territi profugerunt: cumque Sabini per portam patentem irrupturi essent, fertur ex aede Iani per hanc portam magnam vim torrentium undis scatentibus erupisse, multasque perduellium catervas aut exustas ferventi aqua aut devoratas rapida voragine deperisse. cfr Iordan, Herm. IV p. 253 et Top. II p. 349 [52]).

**) In Chalcid. Tim. 233: *pars eius tamquam totius corporis Capitolium* idem atque caput significat eadem vox. De ipsa forma egit Corssen (Ausspr. II, 85) — Capit-ōl-ium: capit-al-is = prim-ōr-es: prim-ār-ius (cfr Jordan, Herm IV p. 246 ann.). Praeterea commutatio illa soni aliquid sustinetur formis consimili vi, quales sunt *praetorium*, *auditorium*, *Olitorium*, id genus alia et ipsa voce *Capit-ōn-is* (cfr etiam Stolz, lat. gr.[2] p. 265).

translatum. Latinorum vero arx *Roma* in monte Palatino erat (Crossen. l. c.). Ut commemorat Macrobius (Sat. I, 9, 17 et 18), Ianus Quirinus reapse defensor exisistit veteris arcis Palatinae contra Sabinos, novi Capitolii conditores (Corssen. l. c.). Roma igitur, cuius vocis origo etiamnunc est obscura, nam ad radicem *sru* (Corss. Ausspr. I [2] p. 364) vix referri potest (cfr Stolz, lat. gr. [2] p. 304), si cum graeco vocabulo, quod est *ῥώ-μη* vis, robur confertur, ad significationem vocis, quae est *Cures* (arx), plane quadrat atque eadem origine atque *robur* (cfr Curt. Grundz. [5] p. 353) esse videtur. Quod si ita est, *Roma* ut *Cures* locum munitum (befästad ort) significat, quae saltem significatio multo aptior quam illa "Stromstadt", quam proposuit Corssen (l. c.) videtur.

Cognomini Quirini forsitan cognatum sit cognomen *Curiatii*, quod Iano etiam addi constat, si quidem vocem *curiae* ad eandem radicem, quae in Quirino inest, referre licet, formam tamen $q_{\circ}^{\circ}$ vocalis longa flagitat (cfr Brugmann Grundr. I p. 246 et Stolz, lat. gr. [2] p, 285). Sed, utut est, cum curia sine dubio cohaeret Curiatius, ut Curiatius idem fere significet atque tutor curiae vel domus publicae, quo Quirites vel cives convenire solebant ad publicas res gerendas (cfr Fest. p. 49). Neque aliter cognomen ἀγοραῖος nonnullis deis a graecis inditum est. Klausen teste Roschero (Lex. Myth. II, 21) Curiatium deum esse curiarum arbitratur. Falso vero, opinor, Corssen (Ausspr. [2] I, p. 353) vocem appellatam ad radicem *sku* retulit, ut curia pro **cusia* esset.

Veteres interpretes, qui in etymologicis rebus semper fere parum accurati sunt, satis leviter cognomen dei a nomine Curiatii cuiusdam ab Horatio in tergemino certamine interfecti duxerunt. Quo de certamine haec narrat Festus (p. 297): *ex conventione Tulli Hostili regis et Metti Fufetii ducis Albanorum trigemini Horati et Curiati cum dimicassent, ut victores sequeretur imperium, et Horatius noster exsuperasset, victorque domum reverteretur, obvia soror cognita morte sponsi sui fratris manu occisi aversata est eius osculum, quo nomine Horatius interfecit eam. et quamquam a patre absolutus sceleris erat, accusatus tamen parricidi apud Duumviros, damnatusque provocavit ad populum, cuius iudicio victor duo tigilla tertio superiecto, quae pater eius constituerat, velut sub iugum missus, subit consecratisque ibi aris Iunoni Sororiae Iano Curiatio, liberatus omni noxia sceleris est auguriis adprobantibus.*

Interpretatio huius cognominis, quam praebet Labeo apud Io. Lydum (IV, 1): *Κουριάτιον* (sc. Ἰανὸν καλεῖσθαι) οἱονεὶ ἔφορος εὐγενῶν, dei cognomen ad Curiatium eundem refert, quasi deus praeses nobilium Curiatium voca-

retur: *Κουριάτιοι γὰρ καὶ Ὀράτιοι ὀνόματα εὐπατριδῶν εἰσι.* Magis etiam mira est interpretatio Creuzeri (Symb. II p. 885), qui Curiatium et curatorem mundi idem significare putat. *Patricii* quoque cognomine Ianum idem Labeo cognominavit, quod tamen non, ut ex interpretatione iam allata suspicari possis, ad patriciorum deum refert, ut quasi patriciorum parens vel genius sit Ianus, sed indigena (*αὐτόχθονα*) interpretatur. Omnes vero istae interpretationes, ut in coniectura positae, non magni sunt momenti.

Duo praeterea cognomina Iani ab Ovidio (Fast. I, 129 sqq.) commemorantur:

— — — *modo namque Patulcius idem*
Et modo sacrifico Clusius ore vocor.

Sed ne ad haec quidem cognomina intelligenda probabile quidquam attulerunt interpretes antiqui. Nam quod dicit Macrobius (Sat. I, 9, 16) Ianum appellari Patultium et Clusivium, quia bello caulae eius patent, pace clauduntur, nemini probari potest, quamquam Servius quoque idem fere narrat ad Verg. Aen. VII, 610: *Alii Clusivium dicunt, alii Patulcium,quod patendarum habeat potestatem.*

Ab horum sententia non adeo differt Labeonis, qui quidem apud Io. Lydum (mens. IV, 1) interpretatur *Κλουσίβιον ἀντὶ τοῦ ὁδιαῖον,* et *Πατούλκιον καὶ Κλούσιον οἱονεὶ θυρεόν.* —

Multo melius haec declarant cognomina, finibus adeo angustis non circumscripta, hi Ovidi versus (Fast. I, 117 sqq.):

Quicquid ubique vides, caelum, mare, nubila, terras,
Omnia sunt nostra clausa patentque manu.

Iis vero, qui Ianum solis deum esse existimarunt, cognomina illa nullam interpretandi difficultatem praebent. Ianus enim utriusque ianuae caelestis ianitor (Ovid. Fast. I, 125) fit, "qui exoriens aperiat diem, occidens claudat" (Macrob. Sat. I, 9, 9; Ovid Fast. I, 139).

Sed nobis persuaderi non potuit Ianum esse deum solis, quae opinio solis stoicorum placitis debetur. Praeterea ne solem quidem sibi ipsi ianuam caelestem aperientem et claudentem animo sibi finxisse, antiquos, credo, praesertim cum hoc munus inferius iam Homerus Horis attribuerit (Il. V. 749):

αὐτόματοσ δὲ πύλαι μύκον οὐρανοῦ, ἅσ ἔχον Ὧραι.

Verum Roscher (Hermes, der Windgott. p. 120) primus vidisse mihi videtur, cognomina illa Patulcii et Clusivii ad caelum referens. Nam si consideremus

Romanos caelum nubibus vacuum *patentem* vel *apertum* *) appellare solitos esse, nubibus vero obductum *clausum*, Patulcium esse caelum nebula depulsa, Clusivium vero de caelo nubibus se obducente dici facile est verisimile. Quod quidem magis etiam veri simile fit, si meminerimus Iovem quoque, deum caeli, *Patulcium* et Iunonem, deam caeli, *Patulciam* vocari (vid. Forcellini lex. s. v.).

Ac caelo ipsi quam maxime conveniunt cognomina appellata, quippe cum prisci illi homines caelum apertum vel serenum deum hilarem vel mitem, clausum vero iratum deum indicare haud dubie putarint. Caelum vero clausum et atrum diem ab initio idem significasse credo et deum iratum ostendisse, nam atro die Ianum Iovemque nominari non oportuit, ut apud Macrobium (Sat. I, 16, 25) legimus: "Sed et Fabius Maximus Servilianus pontifex in libro XII negat opertere atro die parentare; quia tunc quoque Ianum Iovemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet."

Sed de ipsa quoque vi et significatione horum cognominum falso statuerunt, qui activam proposuerunt vim, ut Patulcius *reclusor* et Clusius esset *clusor*. Sicut Roscher (Hermes, der Windg. p. 120) Patulcium et Clusium vel Clusivium vocibus germanicis *Oeffner* et *Schliesser* vel Thürhüter interpretatur. Cui explanationi non repugnat interpretatio Servi (ad Verg. Aen. VII, 610: — — "quod patendarum portarum habeat potestatem" neque, ut videtur, Ovidi (Fast. I, 132):

Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
Nomine diversas significare vices.

Macrobius vero passivam vim his cognominibus tribuere potuit, scribens: (invocamus Ianum) Patultium et Clusivium, quia bello caulae eius patent, pace clauduntur. Clusius vero vel Clusivius nihil aliud quam clausum significare potest, nam cum forma participiali clausus vel clusus proxime est connectendum Clus-iu-s vel Clus-iv-iu-s. Claudius contra vel Clodius potius claudentem significat. Ad significationem vero propriam vel passivam formae clusi mutandam neque suffixum *ivo* neque *io* neque haec cumulata (iv-io) aliquid valent, ut

---

*) Liv. XXII, 6: diem *aperit* dispulsa nebula. Cic. de divin. I, 1: *patens* caelum ex omni parte atque *apertum* intueri. Verg. Aen. I, 587: scindit se nubes et in aethera purgat *apertum* (cfr Roscher l. c. p. 121 ann. 469). Hanc eandem rem plane declarat versus ille homericus: (*τῆς ἐπιτέτραπται*) — — *ἠμὲν ἀνακλῖναι πυκινὸν νέφος ἠδ' ἐπιθεῖναι*, ubi nubes quasi velamen caelum claudens et aperiens fingitur.

ostendunt exempla, qualia sunt *nat-ivu-m* et *nat-um*, *capt-ivum* et *captum*, *sativum* et *satum*.

Patultius *) vero ad *patulum* (apertum) proxime referri potest, substantivi formam **patultia* (öppning) flagitans, ut Prudentius (prudens) ad prudentiam est revocandum et Constantius ad constantiam (cfr Henry, gramm. comp. § 151, 7).

Eodem modo serenum caelum Iovem laetum hilaremque indicare poetarum testimoniis confirmatur, ut his Enni versibus (cfr Sen. ad Am. I, 254):

Iuppiter hic risit tempestatesque serenae
Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis.

et his Vergili (Aen. I, 254):

Olli subridens hominum sator atque deorum
voltu, quo caelum tempestatesque serenat.

(cfr Preller, R. M. [3] p. 190).

Ianum igitur Patultium et Clusium vel Clusivium idem atque patentem et clausum caelum a principio significasse hac proxima disputatione confirmare conatus sum.

Quo concesso hoc quidem firmamentum iis eripitur, qui Ianum cognominibus illis deum ianuarum indicari statuunt, quippe cum falsa interpretatione sola haec sententia nixa sit. Sed iam per se apparet duo verba, qualia sunt Ianus et ianua quaeque eundem sonum referunt, copiosam comparandi et confundendi materiam hominibus antiquissimorum temporum in fabulis fingendis praebuisse. Atque Ianum ob ipsam sonorum similitudinem deum ianuarum esse constitutum vix dubitari potest, neque multo aliter sentire Macrobius (Sat. I, 9, 7) videtur, cum dicat: "Sed apud nos Ianum omnibus praeesse ianuis nomen ostendit, quod est simile *Θυραίῳ*. Nam vix fieri potuit, quin Ianum et ianum vel ianuam conferrent et confunderent antiqui, cum originem et vim horum vocabulorum considerarent. Ac cum de cognatione nominum non dubitarent, fieri non potuit, quominus deus, cuius nomen ianuam significaret, ianuarum esset deus. Immo etiam custos portarum vel ianuarum est habitus (Macrob. Sat. I, 9, 7 — Aen.

*) Haec forma codicibus melius confirmata videtur quam altera (Patulcius). Nam ad Ov. Fast. I, 129 codd. DE Kb *Patultius* habent *fr* vero *patucius* — sed commemorandum est *t* et *c* saepe in libris commutari, e. gr. in Macrob. Sat. I, 9, 16, ubi cod. A habet formam *pacultium* i. e. *patultium*.

VII, 610). Convenientius tamen Ovidius caelestem eum ianitorem fingit, nam ipse deus (Fast. I, 125) inducitur dicens:

Praesideo foribus caeli cum mitibus Horis.

Ad Ianum igitur ianitorem cognomina, quae sunt Patultius et Clusius vel Clusivius, statim sunt accommodata, quae eum quasi ianuas aperientem et claudentem describere viderentur. Etymologia vero falsa ducti haec omnia finxerunt-quod verbis apertis paene concedit Macrobius —: "Ianum, inquit, omnibus praeesse ianuis *nomen ostendit.* Eodem fere modo Preller (R. M. [3] p. 172), rem diiudicat, affirmans Romae omnes portas omnesque ianuas memoriam Iani referre, quippe cum nomine eius iani vel ianuae nominarentur, sed prorsus perverse iudicat.

Cum vero ianitor esset factus Ianus, proximum erat, ut omnia ianitoris insignia ei attribuerentur. Quam ob rem et virga et clavi ornatus fingitur, ut testatur idem Macrobius (Sat. I, 9, 7): Nam et cum clavi ac virga figuratur, quasi omnium et portarum custos et rector viarum. Quare ab Ovidio (Fast. I, 99) Ianus ianitor verus vel custos ianuarum, omnibus ianitoris insignibus praeditus inducitur "tenens baculum dextra clavemque sinistra". Ianum in fabulis cum Cardea, Limentino *), Forculo, quae nomina paene allegorice sunt accipienda coniunctum occurrere, non est mirum: causa est tota in continua etymologiae falsae ratione posita. Cum eadem ratione arcte cohaeret quod Ianus omnis felicis introitus et exitus erat deus. Cfr Hartung, Rel. der Röm. II p. 219 — Buttmann, Mythologus II p. 76, Preller. R. M. [3] p. 172). Hanc eandem rem paullo aliter, minus tamen accurate, hoc modo interpretatur Macrobius, ut *ob merita introitus et exitus aedium eidem (Iano) consecratos* dicat.

Quid clavis significaret, interpretes nihil fere inter se dissenserunt, nam clavi ad domum claudendam et servandam usos esse ianitores, vix est quod dubitemus. Baculum autem vel virgam fuisse teli genus simplicissimum, quo utebatur ianitor ad removendos homines iniquos, plane in promptu est. Nonnulli tamen baculum viatoris signum esse putarunt — quod tamen naturae dei adversatur. Quae vero Charles Ploix (l. c.) et Hartung (Rel. der Römer II p. 220) proposuerunt a re et veritate multo magis abhorret. Cum ianuarum deus introitus et exitus deus etiam esset factus Ianus, proxime sequebatur, ut initio-

*) Arnob. IV, 9: Quis (est qui credat) Limentinum, qui Limam custodiam liminum gerere et ianitorum officia sustinere — — —?

rum deus statueretur, quod quidem iam supra commemoravimus. Sed ne hoc quidem verum est, nam ob principatum dei male intellectum ita statuerunt.

Romani enim non maiorem initio tribuerunt vim quam aliae gentes, quamquam hoc Cicero (N. D. II. 27) probare studet, sed ideo tantummodo, quod principatam Iani aliter explicare non potuit. Praeterea ne Romani quidem hoc proverbium primi invenerunt: Dimidium facti qui coepit habet (Hor. Ep. I, 2, 40). Sed e graeco fonte sententia fluxit: *ἀρχὴ δέ τοι ἥμισυ παντός* apud Lucianum legitur (Hermot. c. 3), cuius proverbi auctorem Pythagoram fuisse Iamblichus censet (cfr Plat. Rep. II c. 7: *ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον* et Aristot. eth. Nic. I, 7 § 1098 b: *δοκεῖ γὰρ πλεῖον ἢ ἥμισυ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχή*).

Cum Roscher (Lex. Myth. p. 29) Iani magnitudinem et honorem divinum, quamquam ab origine adeo vili esse profectum censet, Vestam in comparationem vocando defendere sit conatus, plane falso egit. Nam ut Ianus ab ianua ad honorem summi dei se umquam extollere potuisse ne cogitari quidem debet, ita honorem suum a foco, ubi servaretur ignis, Vesta numquam accepit, sed e contrario focus a Vesta. Vestam vero metonymice pro foco poni potuisse, hoc nihil ad rem commutandam valet. Vesta dea erat ignis *). Hinc honor eius est ducendus. Respondet enim Vesta dea deo Indorum, qui est Agni, carminibus vedicis permultis celebrato, et slavorum deo, qui erat *Ogunu* (cfr librum meum Indogerm. h. g. p. 92), ne de Persarum cultu ignium commemorem. Vestam igitur primitus deam ignis caelestis etiam fuisse credo, unde honorem primum dea terrestris ignis servavit, quem non primo e foco, ignis receptaculo vili, duxit.

Alia vero res, quae muneri Iani ianitoris eiusque cum ianua cohaerentiae repugnat haec est, quod publicus eius cultus antiquior vel gravior erat quam privatus, qui nullus fere fuisse videtur (cfr Roscher Lex. Myth. p. 32). Quae autem res plane contra se habuisset, si ianuarum deus ab initio Ianus esset habitus. Cultum autem publicum Iani e privato, qui antegressus esset, esse profectum et ex privato solo cultu cultum publicum posse explicari perverse saltem statuit Roscher (l. c.). Summum enim deum, ut qui deus esset deorum, iam a principio publice coli et venerari oportere consentaneum est (cfr Preller — Jordan R. M. p. 121). Quocirca eandem fuisse rationem venerationis Vestae

---

*) Nec aliter censuit Servius ad Aen I, 292 Vestam vero religionem: quia nullum sacrificium sine igne est, cfr Preuner, Hestia — Vesta p. 31).

plane est credibile, nam privatus huius deae cultus in monumentis litterarum rarissime commemoratur (Preuner, Hestia—Vesta, p. 232). Vesta autem populi Romani Quiritium praevaluit et publica eius fuerunt sacra (vid. Preller — Jordan R. M. p. 121), nam Vesta non erat singularum familiarum vel domuum dea sed publicae familiae vel civitatis (cfr Preuner. l. c. 245). Vesta igitur Italorum summae dignitatis erat dea. Quamobrem focus civitatis ceteros focos et sanctitate et dignitate longe praestitit (Preun. l. c.). E foco enim publico totam gubernavit civitatem Vesta. E foco publico antiquissimis temporibus, cum privati nondum essent, homines singuli ignem sine dubio sumpserunt, ac cum salus omnium e publico igne servato magna ex parte penderet, ignis, ne exstingueretur, quam diligentissime est servatus, cum virgines Vestales ignem foci publici custodirent. Quae cum ita sint, publicum et Iani et Vestae cultum privato multo praevaluisse et antiquiorem fuisse affirmamus, falsoque Roscher (l. c. p. 19) contraria contendit.

Nam cultus privati Iani dei nulla fere aut pauca tantummodo exsistunt vestigia, publici vero multa. Publicus enim erat dies festus maximus, qui Kalendis Ianuariis a populo romano universo celebratus est (Hartung, Rel. der Röm. II p. 221). Proprium et suum sacerdotem, sacerdotum omnium principem, qui rex sacrorum vel sacrificulus vocabatur, etiam habebat, cuius munus publicum fuerit, plane est necesse (cfr Preller R. M. p. 122). Sed non solum primo quoque anni die publica sacrificia Iano facta sunt sed etiam primo quoque mensis die. Nam sollemnes dies Iano omnes erant Calendae, ut apparet e verbis Macrobi (Sat. I, 9, 16): — — — *et Varro libro quinto Rerum divinarum scribit Iano duodecim aras pro totidem mensibus dedicatas.* Quae sacra a rege sacrorum, cui salii adessent publici illi sacerdotes, fortasse sunt facta, (cfr Preller R. M. [3] p. 122) ut indicat Ioannes Lydus (de mens. IV, 2): *δυοκαίδεκα πρυτάνεις πρὸσ τοῦ Νουμᾶ τοὺς . . . Σαλίους ὁρισθῆναι φασιν ὑμνοῦντας τὸν Ἰανὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν.* — In templo Iani haec sacra singulis mensibus esse facta alius eiusdem scriptoris locus monstrat (IV, 2): *δωδεκάβωμον εἶναι τὸν αὐτὸν ναὸν κατὰ τὸν τῶν Ἰταλικῶν μηνῶν ἀριθμόν.*

De ipsa natura horum sacrorum teste Lydo (IV, 2) Varro nos aliqua ex parte fecit certiores: *Βάρρων . . . φησὶν αὐτὸν . . . λέγεσθαι . . . καὶ Ποπάνωνα διὰ τὸ ἐν ταῖς Καλένδαις ἀναφέρεσθαι ποπάνονα.*

Publicus etiam erat cultus Iani Quirini (Hartung II p. 224). Priusquam enim bellum indictum est, populus universus Quiritium summa religione cærimo-

niaque eum colebat. Ad templum eius comitantibus senatoribus consul se contulit, toga indutus trabeata, templum aperiens et ad bellum iuventutem convocans (Preller, R. M. [3] p. 175). Nec publica non erant Agonalia vel Agonia, quae ante diem V Idus Ianuarias quotannis agebantur. Tum rex sacrorum sacrificium faciens Iano arietem, principem gregis, immolabat (Preller R. M. [3] p. 178). Cultum Iani et quidem publicum Romae pervetustum fuisse, ex eo concludi licet, quod iam a Romulo institutus esse dicitur hic cultus (Aug. c. d. IV, 23 — Roscher, L. M. II, p. 15).



QUÆ DE NUMINE DIVINO CULTUQUE EJUS SENSERIT JULIANUS,

EX SCRIPTIS IMPERATORIS DEMONSTRAT

HILD. ANDERSSON.

LUNDÆ MDCCCXCI.
TYPIS BERLINGIANIS.

Quæ de numine divino cultuque ejus senserit Julianus,

ex scriptis ipsius imperatoris demonstrat

HILDING ANDERSSON.

Quin ex scriptis Juliani plura interierint quam quæ restant, dubium non est. Neque mirum est ea quidem, quæ ad doctrinam christianorum impugnandam scripsit, indigna habita esse, quæ opera librariorum christianorum servarentur descripta. Non nisi forte quadam factum est, ut ex libris ejus contra christianos scriptis restent adhuc nonnulla, quæ Cyrillus Alexandrinus illos libros refutans profert. Sed ex ceteris quoque scriptis longe plurima interisse vel inde apparet, quod tam pauca nobis reliquit auctor ille, qui tanto studio et tanta festinatione in scribendo usus sit. Qua re non nihil ipse gloriatur commemorans, quam brevi tempore hoc vel illud scriptum absolverit. Ut sub finem orationis quartæ dicit se .eam tribus noctibus scripsisse, (157 C., p. 204, 5 [1]) *Ταῦτα ἐν τρισὶ μάλιστα νυξὶν ὡς οἷόν τε ἦν ἐπελθόντα μοι τῇ μνήμῃ καὶ γράψαι πρὸς σὲ ἐτόλμησα.*) Quintam autem orationem non admodum brevem exigua unius noctis parte ad finem deductam affirmat. (178 D, p. 231, 7 *Τίς οὖν ἡμῖν ὑπολείπεται λόγος, ἄλλως τε καὶ ἐν βραχεῖ νυκτὸς μέρει ταῦτα ἀπνευστὶ ξυνεῖραι συγχωρηθεῖσιν;*) Quam multa igitur eum scripsisse consentaneum est, quum

[1]) Numeri paginarum editionum sunt Hertleini (*Juliani Imperatoris quæ supersunt præter reliquias apud Cyrillum omnia.* Recensuit Fridericus Carolus Hertlein. Lipsiæ MDCCCLXXV) et Neumanni (*Juliani Imperatoris contra christianos quæ supersunt.* Collegit recensuit prolegomenis instruxit Carolus Johannes Neumann. Lipsiæ MDCCCLXXX.) Ubicumque significatur editio Neumanni litteras adscripsi c. Chr. Tum ante numeros paginarum harum editionum recentiorum posui numeros et litteras in marginibus earum assumpta ex editione Spanheimi.

præsertim non minus ex scribendis libris quam ex rebus gerendis gloriam assequi studeret, nec scriptoris quam imperatoris laudem minoris faceret. Ex illa copia jam nihil exstat præter hæc, quæ enumerabo.

Orationes in editionibus nostris leguntur octo, inter se et argumentis et toto habitu elocutionis satis dissimiles. Quarum prima et altera in laudibus Constantii amplificandis versantur, ita autem sunt comparatæ, velut si festo aliquo tempore eas declamaverit auctor. Video has orationes a nonnullis laudari propter elegantiam verborum et sententiarum præstantiam. Periculum esse credo, ne pluribus ridicula videatur nimia illa adulatio, qua Constantium non solum virtute æquiparare summos viros dicit sed tantum non omnibus longe præstare, quicumque antiquis et recentioribus temporibus vixerint, idque et animi et corporis bonis. Qua in re id tamen cogitandum ejus modi ineptias in festis potentium virorum laudationibus non facile evitari ne nostris quidem temporibus. Quo fit, ut persæpe ridicula videantur postea, quæ ipso illo festo tempore maximam movebant admirationem audientium.

Ejusdem generis est tertia oratio, ad virtutes Eusebiæ, uxoris Constantii, celebrandas conscripta; nisi quod illa laudatio minus inepta videtur, quum virtutes, quæ in femina summæ habebantur, prudentia pudicitia misericordia et quæ ejus generis sunt non tanta vaniloquentia et tanto strepitu verborum laudentur, quanto regum opes et fortitudo, minore autem invidia Eusebiam Penelopæ similem esse prædicari audiamus quam Constantium Achillis. Tum quia non defuit causa, cur Julianus animo vere grato Eusebiam coleret, non opus erat simulare, quæ non sentiret. Itaque quamquam magna pars orationis hujus artem rhetoricam nimis sapit, eminente studio argute et docte loquendi, insunt tamen nonnulla, quæ ex intimo animo prompta videri possint.

Sequuntur orationes quarta et quinta nulla fere in re prioribus similes præter elegantiam quandam stili sive doctam sive ambitiosam. In eo multo præstant hæ, quod habet auctor, de quo velit audientes docere, non quærit tantum, quibus verbis efficiat, ut novum et admiratione dignum videatur audientibus id, quod omnibus jam notum est et quod oratorem commemoraturum nemo nescit. Ita enim comparatas esse laudationes Constantii et Eusebiæ confitendum est. Jam autem demonstrare studet sententias majorum de diis fabulasque illas, quas tam superbe irridebant christiani, minime abhorrere neque a pietate erga numen divinum neque a ratione sana et philosopho digna. Et quarta quidem oratione exposuit, quæ esset natura dei Solis quantaque in homines beneficia dispertiret. Quinta autem fabulam primo aspectu satis ineptam

de matre deorum Cybele et Attide deliciis ejus ita narrat et interpretatur, ut eluceat verus sensus.

Orationes sexta et septima scriptæ sunt contra cynicorum impietatem, velut levia atque nullius momenti spernentium multa, quæ Juliano sancta et veneranda videbantur. Inest in illis orationibus vis quædam ex indignatione scriptoris orta, multo magis apta ad studium nostrum alliciendum quam elaborata et quæsita elegantia. — Oratione denique octava amicum suum Sallustium valere jubet, quo tempore ille jussu Constantii Galliam et Julianum reliquit; ubi rhetorem magis quam amicum loquentem audiveris.

Post orationes in editionibus legimus epistolam, qua respondet litteris Themistii philosophi regnum acceptum ei gratulantis et significantis, quantæ essent exspectationes de novo rege. Exponit Julianus, quam sit difficile regnare, dicitque se vereri, ut muneri illi sufficiat; quo res evadat in potestate dei esse, ut ipse sit nec magnopere laudandus, si omnia prospera acciderint, et si aliter excusandus. Tum inseritur epistola ad senatum populumque atheniensem missa, quo tempore arma movebat Julianus contra Constantium, convicia satis acerba in adversarium continens, quem et ante id tempus tantis laudibus extulerat et post cum benevolentiæ et amicitiæ significatione plerumque nominavit. — Sequitur fragmentum epistolæ, quod in epistola ad Themistium insertum olim legebatur, primus inde seclusit Petavius. Alloquitur Julianus hominem quendam, cui sacerdotium mandavit, admonens, quæ sint facienda, ut religio gentilium non minus sancta et utilis ad mores corrigendos videatur hominibus, quam suam esse prædicent christiani.

Symposium aut Saturnalia inscriptus est qui sequitur libellus, Cæsares idem appellatus, ipsis Saturnalibus scriptus. Legi dei obtemperandum esse dicit, quæ jubeat illo tempore jocari; quum autem facetias et ridicula verba jactare sibi a natura negatum sit, ita se jocari velle, ut ingenio suo sit accommodatum. Fabulam itaque composuit imperatores romanos a Julio Cæsare usque ad Constantinum filiosque ejus inducens et, prout meriti esse ei videbantur, aut laudans aut vituperans. Nam ad convivium deorum admissi inter se de principatu certant, suam quisque indolem ostendentes.

Jam sequitur ille notissimus Misopogon contra antiochenses scriptus. In illa enim urbe nova christianorum doctrina plurimos invenerat discipulos, nec non præ se ferebant feliciora sibi visa esse tempora Constantii quam Juliani. Quorum verbis contumeliosis Julianus, dissimulata quantum poterat ira et indignatione, ita respondet, ut se ipsum multo acerbius vituperare et irridere

simulet, velut si multis in rebus adversariis inferior sit. Sed ita sunt comparatæ et laudes, quibus illi, et vituperationes, quibus ipse afficitur, ut re vera vituperentur illi, ipse laudetur.

Præter hæc quæ enumeravi scripta Juliani epistolæ et epistolarum fragmenta restant LXXIX variis argumentis et ad varios homines data, quorum tamen nonnulla spuria habentur. Insunt in illo numero et jussa edictaque, ab imperatore ad magistratus populosque missa, et admonitiones laudationes vituperationes, quas pro imperatoria dignitate, quibus ei videbatur, dispertiebat. Nec desunt epistolæ, quibus velut deposita purpura amicus cum amico loquatur, etiamsi concedendum est non sæpe fieri, ut cum purpura illa amictu quoque rhetoris et philosophi abjecto intima mentis perspici patiatur.

Cyrillus Alexandrinus patriarcha, quum sibi proposuisset, ut libros Juliani contra christianos scriptos refutaret, eam ingressus est viam, ut inde a prooemio Juliani orsus ipsius ordine afferret verba, idoneis locis inserens quæ in contrariam partem disputare voluit. Haud sæpe fit ut, quid dixerit Julianus, narret tantum Cyrillus suis non ipsius verbis sententiam persequendo. Quod quum ita esset, totum fere Juliani scriptum haberemus, nisi Cyrilli quoque libri magna pars interisset. Eorum, quæ restant, maxima pars pertinet ad monstrandum, quanto sint meliora placita philosophorum græcorum et maxime Platonis, quam quæ in libris sacris Judæorum leguntur, ut sint magnopere reprehendendi christiani, quod hæc probent illa contemnant. Tum vero etiam magis peccare christianos, quod Judæorum legi non toti se dederint, multa officia negligentes, quæ ab Judæis pie servata, illis molesta videantur. Frustra enim eos confugere ad antiquissimos Mosis et prophetarum libros, inde efficere conantes se, quid illi docuissent, melius intellexisse quam suæ ætatis Judæos. Quod non ita esse ostendere studet Julianus.

Hæc itaque quæ enumeravi adhuc exstant scripta imperatoris doctissimi. In quibus — quoniam, ut est in vetere proverbio, tot sensus sunt, quot capita — aliis alia videbuntur vel ad delectandum aptissima vel dignissima quæ cognoscantur. Mihi quidem illa legenti libebat ad ea in primis animum intendere, quæ docerent, quid sensisset Julianus de natura deorum et quæ officia nobis maxime servanda putasset, ut eam hujus vitæ degendæ rationem sequeremur, quæ diis probaretur, vel qualis fuisset lex sacra et doctrina, a qua devictum iri christianam sperabat. Quare id mihi proposui, ut in unum collatis quæ huc pertinerent sententiis et dictis potioribus, quantum res ipsa sineret, velut unam formam effingerem religionis ejus sive rationis philosophicæ. Et quum

intelligerem tantum non omnes, qui illorum temporum historiam nunc scriberent, consensu narrare Julianum tum primum, quid de his rebus sentiret, ostendisse, quum mortuo Constantio in tutam regni possessionem venisset, ante id tempus dissimulasse animum suum ad veterem superstitionem esse propensum; tum autem viderem pro certo ferri tantum fuisse studium Constantii de lege christiana, ut eo regnante periculosum esset aliquam præbere suspicionem veterum deorum adorationis; e re esse putabam primum omnium ostendere, quam vanæ essent illæ opiniones. Qua re satis exposita ita in argumento meo illustrando progrediar, ut proxime enarrem, quæ contineantur illis orationibus et epistolis, quæ de rebus divinis totæ sint scriptæ. Sunt autem hæ orationes quarta de rege Sole et quinta de matre deorum et fragmentum illud epistolæ ad sacerdotem aliquem scriptæ, olim in epistola ad Themistium insertum, et epistola XLIX ad Arsacium pontificem Galatiæ data. Quæ enim Cyrillus servavit ex libris contra christianos Juliani, pertinent illa quidem ad rerum divinarum scientiam omnia, sed quum longe plurimam partem versentur in refutandis placitis christianorum et judæorum, admodum raro quid ipse sentiat Julianus aperiant, operæ pretium esse non videtur continua enarratione quæ in iis legantur exponere. Quibus ita ut dixi recensitis extrema excipiet me pars operæ meæ, ut in unum conferam quæ et in scriptis supra enarratis et in reliquis passim de rebus divinis dixit auctor; quibus in ordinem redactis exsistet species quædam et forma doctrinæ sacræ, quam amplexus est Julianus.

I.

Quod vulgo credunt Julianum, antequam Constantio adversarius exsisteret, dissimulasse animum suum ad veteres deos esse conversum, illud ita non fuisse ex ipsius scriptis facile intelligitur. Si Constantius adeo fuisset legi christianæ deditus, ut non pateretur veteres illos deos nisi occulte coli, quis non videt Julianum non ausurum fuisse in illis orationibus, quas ad eum misit aut coram recitavit blanditiarum et adulationis plenas, aperte significare se jam non amplecti eandem de rebus divinis sententiam atque illum. Invenirentur in eis nonnulla, quæ pertinerent ad doctrinam illam laudandam, quam unam veram esse Constantius confitebatur. Tantum vero abest, ut ibi legatur tale quid, ut, ubicumque de diis loquitur, aut appareat aut certe suspicari possimus eum deos, quos coluerant majores, cogitare. Quod ita esse jam ostendam locis

allatis ex orationibus prima secunda tertia, ubi dicatur aliquid quod ad rem divinam pertineat, unde intelligi possit, quid de ea re senserit Julianus.

Et in prima quidem oratione ejusmodi sunt omnes qui huc trahi possunt loci, ut satis quidem significent quid Julianus senserit neque tamen disertis verbis ostendant.

Prætermittendum puto quod dixit 2 B, p. 2, 1 musas afflare poetas, quum illud potuerit etiam christianus dicere orationis ornandæ causa. Sed animadvertas velim, quibus usus sit verbis 7 B, p. 8, 11 in laudanda pietate erga Diocletianum avorum Constantii, ut numen significaret divinum. Venerabantur, inquit, secundum meliorem naturam (*μετὰ τὴν κρείττονα φύσιν*) illum a quo regnum acceperant. Satis ostendit modus ille significandi divinitatem non christianum loqui; loquitur enim ita, qui iis verbis uti velit, quibus neque assentiatur sententiis christianorum neque illos gravius offendat. Similis est locus 40 C, p. 50, 12, ubi in dei invocatione optimam providentiam apellavit. (*ὦ πάντα ἀγαθὴ πρόνοια.*) Et 48 A, p. 60, 1 Constantium beneficiis et clementia inter homines imitari dicit divinam naturam (*μιμεῖσθαι τὴν θείαν ἐν ἀνθρώποις φύσιν*), ambiguitate orationis offensionem vitans.

Veterem morem sentiendi et loquendi servavit scriptor, quum diceret 8 A, p. 9, 8 milites etiamtunc Constantinum velut deum venerari (*καθάπερ θεὸν διατελοῦσι σεβόμενοι*). Et 16 C, p. 19, 13 deum Constantino felicem exitum vitæ præstitisse dicens, ut deum significaret, usus est voce quæ est *δαίμων* a veteribus ita sæpe adhibita, apud christianos falsum deum vel spiritum impurum significante.

Majorem habent vim ad id quod proposui monstrandum quæ leguntur 33 C, p. 41, 17; sacrum enim dicit esse bellum quod contra Magnentium Constantius suscepisset, neque illam ob causam quod pro sacro agro gereretur ut quondam Phocicum bellum pro Delphis (*πόλεμος ἱερός, οὐχ ὑπὲρ ἱεροῦ χωρίου, ὁποῖον τὸν Φωκικὸν ἀκούομεν ἐνστῆναι*). Si christianum voluit se haberi auctor, oblitus est Delphos non esse sacros dicendos. Sed neque illud voluit neque hoc temere dixit. 42 C, p. 52, 27 laudatur Constantius, quod prohibuerit, ne Magnentius homo nefarius pro republica solemnes faceret precationes (*τὰς ὑπὲρ τῶν κοινῶν εὐχὰς ποιούμενον*). Quod spectat veterem morem, ex quo summus imperii romani gubernator, quem Augustum tum appellabant, idem semper erat pontifex maximus, cujus erat officium pro communi salute vota suscipere. Simulat itaque Julianus Constantium fuisse ea quidem in re veteris religionis studiosum.

Omnes quos attuli loci, licet non satis ostendant veterum cultorem deorum loqui, ejusmodi sunt, ut multo magis ex ore ejus exspectentur quam ex christiani. Sed antequam hanc orationem relinquam, illud quoque animadvertendum censeo, quod de religione Constantii et pietate erga numen divinum nihil dicatur, quam sine dubio maximis extulisset laudibus, si simulare voluisset se de diis idem ac Constantium sentire. Versatur omnis oratio in enumerandis virtutibus Augusti et amplificandis, neque unum invenitur verbum quo laudetur pietas illius erga deum. Item de religione Constantini silentium tenuit ceteras ejus virtutes commemorans. Quæ omnia satis sunt ad significandum, quid de his rebus senserit auctor. Sed hoc idem non significavit modo sed quam maxime fieri potuit declaravit Julianus in secunda oratione, ad quam transeo.

Hac quoque oratione virtutes Constantii quam maximis potest laudibus effert et ita quidem, ut comparet illum cum nobilissimis regibus antiquitatis ab Homero laudatis, quantopere omnibus in rebus eos superet Constantius ostendens. Itaque quum fabulas illas Homericas continuo respiceret, fieri non potuit, quin nonnumquam afferret nomina eorum, quos vetus ille poëta deos appellaverat. Qui loci non sunt idonei ad id ostendendum, quod ostendere studeo, Julianum vivo Constantio non dissimulasse se deos Olympicos colere, quoniam argumento coactus esse videri potest de illis velut de diis loqui, quum verba et sententias Homeri adhiberet. His itaque locis omissis satis multa restant, quæ sententiam meam veram esse ostendant.

Jam nonnullis locis per Jovem jurat, quod christianum parum decuisset. Ut 50 D, p. 64, 1 *μὰ Δία,* 83 B, p. 106, 24 *ναὶ μὰ Δία,* 96 A, p. 123, 9 *πρὸς φιλίου Διός.* Tum Neptunum terram movere dicit 98 A, p. 125, 18. Quo loco contra meam rationem monuerit aliquis illud quidem christianum quoque credere potuisse, quum inter spiritus maleficos et impuros Neptunum numeraret. Hoc sibi ille credat. Non est operæ pretium contra dicere, quum certiora habeam argumenta. Itaque ne illa quidem loca plurimi faciam, ubi de dæmonibus loquitur. Sed in commemoratione proelii, quod apud Mursam factum est, dicit auctorem totius belli Marcellinum, quum nec vivus nec mortuus post proelium appareret, abreptum esse in malam rem a deo aliquo vel dæmone, voce quoque quæ est *θεός* plurali numero posita (59 B, p. 75, 2 *ἀφανὴς ᾤχετο οὐκ οἶδα ὑπὸ τοῦ θεῶν ἢ δαιμόνων κρυφθείς*). Plurimum enim valent ad id quod posui demonstrandum ea loca ubi vocem illam *θεός* pluraliter usurpavit. Ut 86 A, p. 110, 9 quum satis multis verbis ostenderet, qualis

esset bonus imperator et regnum ejus, his verbis usus est: *ἔστι δὲ πρῶτον μὲν εὐσεβὴς καὶ οὐκ ὀλίγωρος θεραπείας θεῶν.* Quî hoc dicere ausus est coram Constantio, si fuit ille, ut vulgo credunt, veteris religionis acerrimus insectator? Aut quî ausus est dicere 89 A, p. 114, 7 patriam lege orbare majus esse delictum quam quod in pecunias deorum peccaretur (*μεῖζον ἀσέβημα τῆς περὶ τὰ χρήματα τῶν θεῶν παρανομίας*)? Quin etiam dicit 80 C, p. 103, 5 eorum, qui ædes Soli sacras violassent, alios poenas dedisse alios contemptos effugisse. Potuit itaque simulare Constantium sibi videri culpa carere, si quæ templa veterum deorum eo regnante eversa essent aut læsa. 92 B, p. 118, 10 quum dixisset colonos deum precari pro bonis imperatoribus, hæc addidit: *φθάνουσι δὲ οἱ θεοὶ τὰς εὐχάς*, plures significans deos. Tum 82 A, p. 105, 8 quum laudasset sapientiam eorum, qui antiquas illas de diis eorumque filiis fabulas proposuissent, et dixisset illas non falsas et absurdas habendas esse, suæ quoque ætatis homines similia credere debere affirmat. Si quis, inquit, minus bonis parentibus natus præclaram indolem possidet, is est habendus filius Jovis. (*τούτου νομιστέον πατέρα τὸν Δία* 83 A, p. 106, 16.)

Quum igitur minime dissimulet se cultorem esse veterum deorum, tamen significat se credere et Jovem et ceteros illos, quorum nomina vulgo audiebantur, subjectos esse summo cuidam deo, quem regem deorum dixit 90 A, p. 115, 14, cujus interpretem et ministrum virum vere regem esse oportere. (— *τῶν θεῶν τὸν βασιλέα, οὗπερ εἶναι χρὴ τὸν ἀληθῶς ἄρχοντα προφήτην καὶ ὑπηρέτην.*) Quo loco etiam docuit illum deum omnium, quæ in terris bona essent, auctorem esse et datorem, malorum non item. Sed quum quidquid malum esset quam longissime ab illo recederet, illud quoque in humilem illam vitam hominum incidere; qua de causa illum filiis suis, diis scilicet inferioribus et dæmonibus, negotium dedisse, ut homines malis implicatos, prout res postularet, poena afficerent aut auxilio sublevarent. — 89 A, p. 114, 11 legem donum esse dicit sacrum et divinum, summo deo dedicatum (*ἱερὸν ἀνάθημα καὶ θεῖον ἀληθῶς τοῦ μεγίστου θεοῦ*). Ejusdem dei naturam ita definiit 70 B, p. 89, 27, ut esset mens pura terrestris corporis expers. (*τί χρὴ προσδοκᾶν αὐτὸν Πλάτωνα ὑπὲρ τοῦ καθαροῦ καὶ ἀμιγοῦς γηίνῳ σώματι διανοηθῆναι νοῦ, ὃν δὴ θεὸν εἶναί φαμεν;*) Prætermitto quæ paulo antea dixit de mente nostra et prudentia, velut deus esset in nobis, quum Platonis illa esse non Juliani videri possint. Quamquam Platonem adeo veneratur, ut prope nefas esse ducat unum verbum illius mutare, quum sit velut vetus sacrum intactum relin-

quendum. (*εἰ δὲ ὥσπερ ἱερὸν ἀρχαῖον κελεύοι τις μένειν ἐᾶν ἀκίνητον κ. τ. λ.* 68 D, p. 87, 25).

Sed jam satis apparet, opinor, eum qui hanc orationem scripsit, christianum se videri minime voluisse. Poteram itaque re satis demonstrata tertiæ orationis, qua uxorem Constantii laudavit, locos negligere, qui idem illud ostendunt. Afferam tamen quam brevissime.

104 D, p. 134, 17 periculum esse dicit, ne obtrectatores mulierum Minervam quoque elevent. (*μή ποτε οὖν οὐδὲ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς τοῦ Διὸς ἀπόσχωνται παιδός*). 115 A, p. 147, 18 Eusebia cum Minerva comparatur; utramque legis severitatem moderare solitam esse. Tum 123 A, p. 158, 9 dicit se intuitum esse Eusebiam velut quoddam in templo collocatum simulacrum castitatis. (*ἐδόκουν ὥσπερ ἐν ἱερῷ καθιδρυμένον ἄγαλμα σωφροσύνης ὁρᾶν*). 125 B, p. 161, 4 uvas dicit munera Bacchi. 128 D, p. 165, 24 per Jovem jurat. Nihil efficitur iis locis ubi deum singulariter nominavit, ut 118 D, p. 152, 19 *τὸν θεὸν ηὐχόμην,* 121 A, p. 155, 15 *κατὰ θεόν,* 123 B, p. 158, 14 *σὺν θεῷ.* Illud non prætereundum censeo, quod 107 C, p. 137, 26 in Alexandro laudando dixit eum primum hominum orientem solem adoravisse (*ἀνίσχοντα πρῶτος ἀνθρώπων τὸν ἥλιον προσεκύνει*). Nec minus considerandum est quod dicit 123 D, p. 159, 8 Eusebiam sibi dono dedisse libros aliquot — scriptorumne christianorum? Immo philosophorum historicorum oratorum poetarum, musæum denique græcum. Quæ res ostendit Eusebiam neque ita deditam doctrinæ christianorum fuisse, ut veterem odio et contemptui haberet religionem, neque ignorasse, quæ præferret Julianus. Neque ille, quum plerisque locis virtutes commemoraret reginæ, quidquam de pietate ejus erga numen divinum dixit.

Et hæc quidem ex iis scriptis intelligi licet, quæ vivo Constantio necdum inimicitia inter eum et Julianum orta sunt edita. Jam quo tempore arma contra Constantium movebat Julianus, ad athenienses misit eam epistolam, quam nos quoque habemus, qua inceptum suum illis probare studet favorem eorum captans. Ex qua epistola de illa quidem re non multum discimus, quid de rebus divinis senserit scriptor, nisi quod ex singulis prope sententiis apparet eum veterum cultorem esse deorum. Quos locos enumerare et longum est nec necessarium in re haud dubia. Sed hoc jam cogita. Si verum esset, quod vulgo credunt, Julianum ad id tempus usque se christianum esse simulasse, quî fieri potuit, ut abjecta tum demum simulatione ne verbum quidem diceret de simulandi necessitate sibi antea injuncta? Nimirum jam antea omnibus erat notum, quid Julianus his de rebus sentiret, et Constantio imperante cuivis licuerat

deos colere, modo sine sacrificiis aliisque ceremoniis, quorum pleraque illicita fuisse videntur aliam ob causam quam quod iis offenderetur deus unus et verus.

Satis enim est notum edictum quoddam ferri Constantii ad nostram ætatem servatum, quo templa deorum per omnes imperii urbes occludi jubentur, sacrificiis autem uti tam severe vetantur cives, ut capitale intendatur supplicium, si quis illud commiserit facinus. Hoc opinor edicto maxime nititur sententia illa, Julianum, dum Constantii amicus esse studeret, non potuisse facere, quin simularet se esse christianum. Sed ne hoc loco quæram, num edictum illud re vera sit propositum aut quo usque vindicata sit ejus legis violatio, falso putaverunt Constantium edicto illo etiam interdixisse, ne quis antiquas majorum de numine divino sententias retineret aut veteres deos mente coleret. Sacrificia autem vetantur. Sacrificia enim illis temporibus horruisse videntur christiani, non solum quia impia essent sed etiam quia artem magicam attingerent et in noxam alterius adhiberi possent. Satis enim multa ostendunt christianos, etiamsi negabant sæpe numina illa, quæ colebant gentiles, omnino existere, tamen potestatem eorum metuisse velut dæmonum malorum et nocentium. Ut in libro Cyrilli quum nulla esse dicuntur numina illa (148 E in editione Spanheimiana) tum angelos esse perfidos e coelo lapsos (121 D). Et illud fieri solet, ut nova divini numinis colendi ratione inita deos a majoribus cultos relinquentes velut numina malefica et oderint et metuant simul suspicantes eos, qui veteres ritus abjicere nolunt, potestate quadam magica a dæmonibus suis donari.

Quæ quum ita sint, apparet, etiamsi sacrificia deorum vetuit Constantius, non inde sequi, ut tanta fuerit pietate et tanto legis christianæ studio, ut non posset Julianus sine ejus offensione confiteri majorum de diis sententias sibi placere. Sed veritus est, ne sacrificiis illis aliisque magicis artibus uterentur inimici sui in ipsius detrimentum. Inde nata est nimia illa severitas puniendi vel levissima hujus generis delicta, quoties mota erat aliqua suspicio consiliorum contra majestatem imperatoris initorum. Qualia legimus apud Ammianum Marcellinum multa; e quibus unum exemplum proposuisse non a re alienum erit. Narrat enim Demetrium quendam philosophum quod sacrificasset accusatum ea usum esse defensione, ut diceret se id fecisse numinis propitiandi causa non sublimiora temptandi; nec enim quemquam id adfectare se novisse. (Am. Marc. XIX, 12, 12). Quo loco propter indignationem rem in majus extollens de iniqua temporum conditione his verbis queritur auctor (l. c. § 14 & 15): "Nam siqui remedia quartanæ vel doloris alterius collo gestaret sive per monumentum transisse vesperum malivolorum argueretur indiciis, ut veneficus sepulchrorumque

horrores et errantium ibidem animarum ludibria colligens vana pronuntiatus reus capitis interibat. Et prorsus ita res agebatur, quasi Clarum Dodonæas arbores et effata Delphorum olim sollemnia in imperatoris exitium sollicitaverint multi."

Quibus consideratis intelligimus, quatenus vere dici potuerit Constantio regnante periculosum fuisse alia atque illum de numine divino sentire; quod uno loco contendit Julianus in epistola XLII his verbis (423 B, p. 546, 6): *ἕως μὲν οὖν τούτου πολλὰ ἦν τὰ αἴτια τοῦ μὴ φοιτᾶν εἰς τὰ ἱερά, καὶ ὁ πανταχόθεν ἐπικρεμάμενος φόβος ἐδίδου συγγνώμην ἀποκρύπτεσθαι τὰς ἀληθεστάτας ὑπὲρ τῶν θεῶν δόξας.* Quamquam ne illo quidem loco dicit periculum propter sententias, quas quis haberet de numine divino, ab ipso imperatore intendi. Neque de alia re quam de sacrificia occultandi necessitate queritur in epistola illa ad athenienses missa, solum se servum habere narrans, qui officia erga deos secum nosceret et quantum fieri posset in secreto secum perpetraret. (277 B, p. 357, 10 *εἷς μοι μόνος καὶ τὰ πρὸς θεοὺς συνειδὼς καὶ ὡς ἐνεδέχετο λάθρᾳ συμπράττων.*)

Hunc quoque ad extremum ex scriptis Juliani locum afferam, quo appareat Constantium non sine amicitia et familiaritate eo usum esse, qui præ se ferret majorum deos colendi rationem sibi magis placere quam christianorum. Laudat enim Julianus in epistola ad Libanium sophistam data Sopatrum quendam, quod Constantius et Gallus apud eum sæpe devertentes frustra conati essent ei persuadere, ut pietatem erga deos relinqueret. (401 C, p. 518, 17, *ὑποδεξάμενος γὰρ πολλάκις τόν τε ἀνεψιὸν τὸν ἐμὸν καὶ τὸν ὁμοπάτριον ἀδελφὸν καὶ προτραπεὶς ὑπ᾽ αὐτῶν, οἷα εἰκός, πολλάκις ἀποστῆναι τῆς εἰς τοὺς θεοὺς εὐσεβείας, ὃ χαλεπόν ἐστιν, οὐκ ἐλήφθη τῇ νόσῳ.*)

Antequam hanc relinquam quæstionem, non sunt fortasse negligenda quæ in contrariam partem dici possunt auctore Ammiano Marcellino. Non enim sum nescius iis quæ supra disputavi opponi posse testimonium Marcellini narrantis l. XXI, 2, 4 Julianum in ipso rebellionis primordio, quum Viennæ in Gallia esset, adhærere se cultui christiano finxisse, a quo jam pridem occulte descivisset. (Cfr. XXII 5, 1.) Cujus auctoris testimonio tanto plus tribuendum arbitrantur, quod non fuit ipse christianus. Quibus respondere velim plurimi me facere Ammianum, scriptorem locupletissimum et jucundissimum, sed non tanti, ut valeat apud me auctoritas ejus contra rem. Nam Julianum non occulte descivisse satis ostendunt quæ ex ipsius scriptis supra attuli. Sed ne illud quidem credo Ammianum vere dixisse Julianum Viennæ finxisse se cultui chri-

stiano adhærere. Hæc sunt verba Ammiani: (XXI, 2, 5) "et ut hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Januario christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum ecclesiam sollemniter numine orato discessit". Non est cur dubitemus, quin Julianus illud fecerit; sed non eo consilio, ut christianus videretur. Nam et ante id tempus et post præ se ferebat deorum veterum se esse cultorem, neque videtur umquam veritus esse, ne ob eam rem pauciores haberet amicos et adjutores. Sed illud nimirum ostendere studebat, summum imperium jam affectans, se non insectatorem fore christianorum neque ritus eorum ludibrio habiturum, quod poterant fortasse suspicari illi, quia omnibus notum erat studium Juliani, quo vetera numina coleret.

Omnino mihi videntur viri docti parum attendisse, quanta diligentia caveret Ammianus, ne offenderet christianos. Haud facile enim unum verbum in libro ejus inveneris, quo legem christianam aut homines ejus studiosos vituperet in eo, quod talem sequantur rationem. Nam quod legitur l. XXI, 16, 18 non minus laus est religionis christianæ quam vituperatio ipsius Constantii; "Christianam, inquit, religionem absolutam et simplicem anili superstitione confundens etc." At contra crimina christianorum in Julianum nonnumquam repetivit ut XXII, 10, 7, XXV, 4, 20. Quod etiam ibi factum esse contendo, ubi narratur illud, quod Viennæ contigit. Qua re tandem ad eam erga christianos indulgentiam adductus est Ammianus? Scripsit temporibus Theodosii, qui imperator religionem christianam multo majore studio amplectebatur quam quisquam superiorum. Ammianum autem favorem ejus sibi conciliare studuisse vel ex extremis historiarum librorum verbis apparet, quibus dominum scite adulatur. Jam vero non multis verbis opus est, ut ostendam, quam credibile sit christianos Juliano crimini tribuisse illud quod Viennæ fecit, velut si falsam induisset christiani speciem.

Sed satis multa jam dixi, ut mihi videor, de ea re quam prima disputationis meæ parte illustrandam statueram. Tempus est alteram incipere partem, qua me enarraturum promisi, quæ continerentur in illis orationibus et epistolis, quæ de rebus divinis totæ essent scriptæ.

II.

Primum igitur a me exspectatur, ut argumentum enarrem orationis quartæ, quam etiam Hymnum in Solem appellarunt. Scripsit eam Julianus, sicut ipse testis est (157 C, p. 204, 5), tribus noctibus, ut vel inde intelligatur, quam velox cucurrerit ei scribenti stilus. Exposuisse autem ibi se dicit, quæ a Jamblicho Chalcidensi ipse didicisset, philosopho illorum temporum celeberrimo, cui tribuit Julianus aut secundas post Platonem aut etiam primas in philosophia partes. Inutile videri posse confitetur eadem atque illum denuo exponere, quum nihil novi habeat quod ex suo addat; sed se non ideo scripsisse, ut alios instrueret, quum tantum studuisset, ut divino Solis numine laudando gratias illi debitas ageret.

Omnes quidem homines in prooemio dicit a deo Sole tanta accipere beneficia, ut debeant summo animi studio laudibus ejus interesse. Se vero præter ceteros singulari quodam modo ejus patrocinio uti. Cujus rei se documenta apud se ipsum certissima habere, quæ in vulgus efferre nefas esse. Illud fas esse palam edicere et jam pridem a multis cognitum se inde a prima adolescentia miro studio flagrasse contemplandi motus corporum coelestium, adeo ut nonnullis videretur astrologorum arti divinandi deditus. Tantum vero abesse, ut vera fuerit illa sententia, ut nullus ejusmodi liber etiamtum in manus suas venisset. Præterea quam tum se habuisse de diis sententiam? Perversam et impiam christianorum, quibus aut nulli aut spiritus malefici et noxii viderentur dii coelestes. Quas mentis suæ tenebras utinam illi oblivio darent. Sed tamen, inquit, in illis tenebris amorem sui et veritatis investigandæ studium summus rex Sol excitavit in animo alumni sui aberrantis.

His præmissis adgressus est ostendere, quæ esset natura dei Solis, quæ potestas, quæ opera. Quæ omnia intelligere non admodum facile est, quum et in rebus obscurioribus sæpe versetur oratio et contextus libri manibus librariorum multa et indigna passus est. Sed sic quoque tantum non omnia perspicias, si diligentius attendas et sæpius perlegas librum Juliani.

Totus hic mundus, inquit, qui divinus est et pulcherrimus, a summo coeli vertice ad infima terræ exstitit sine generatione (*γέγονεν ἀγεννήτως*) ab omni

æternitate et in futurum semper erit. Custoditur autem proxime a quinto, quod dicitur, corpore, cujus præcipua pars sunt radii solis; tum velut secundo gradu a mundo intellectuali (*κόσμος νοητός*); denique a summo deo. Qui quidem quo nomine potissimum appellandus sit, dubitat auctor. Quæ temptavit nomina hæc fere sunt: rex omnium rerum; id quod trans cogitationem est; forma vel idea omnium, quæ re vera sunt; unum; bonum; uniformis omnium rerum causa. Summus ille deus medium inter alios deos spirituales et opifices (*νοερούς καὶ δημιουργικούς*) ex se produxit summum deum Solem omnia sui similem.

Non inutile erit, opinor, jam nunc breviter declarare, quid significet Julianus verbis illis sæpius in hac oratione occurrentibus *κόσμος νοητός* et *νοερός*, quæ ita in romanam linguam traduxi, ut dicerentur mundus intellectualis et spiritualis. Est autem mundus intellectualis idem fere ac multitudo illa formarum, quam extra globum coeli spectari Plato dicit a diis coelestibus, quibus illa spectatio idearum velut cibus est. Spiritualis autem mundus ipsorum coelestium deorum est, quos narrat Plato a summo deo creatos opifices esse eorum, quæ non æterna sint, et inter stellas versantes res hujus spectabilis mundi gubernare. Sunt scilicet iidem, quos vulgo venerantur alii aliter nominantes homines, Juppiter, Minerva, Apollo, ceteri.

Jam ad solem redeamus, summi dei filium. Qui quamquam filius est, tamen semper exstitit apud summum bonum, a quo accepit regnum mundi spiritualis, ut, quod dat pater intellectualibus, id filius spiritualibus daret, et rex esset eorum, quamquam una cum illo hi quoque ex deo provenerunt et apud eum semper fuerunt. Itaque velut duæ hæ naturæ sunt solis, intellectualis et spiritualis. Sed est in eodem etiam spectabilis natura, orbis ille splendidus, quem oculis videmus. Et sub illa specie rex est mundi spectabilis, omnia bona huic mundo commodans ut illic spiritualibus. Quanta autem sit potestas solis in spectabilibus, quivis intelligit. Nam per eum solum et videmus nos et res videntur, et oriens et occidens hæc omnia convertit immutatque et dux est stellarum, quem sequuntur planetæ et cui omnes cêdunt.

Jam vero quum ex iis quæ conspiciuntur conjici possit, qualia sint ea quæ non videntur, consentaneum est putare eundem principatum in spiritualibus deum Solem habere, quem habet inter corpora coelestia orbis ille visibilis solis. Quid igitur statuendum est de sanctis illis veterum carminibus et fabulis, quibus Juppiter rex deorum perhibetur eorum, quos spirituales jam nuncupat Julianus? An falsa illa et vana fuerunt? Minime docet illud antiquæ religionis restitutor Julianus. Rex enim deorum Sol et rex deorum

Juppiter non duo sed unus est deus, ut jam pridem intellexerunt homines rerum divinarum peritissimi. Est in vetere carmine: "Unus est Juppiter, Sol, Pluto"

Εἷς Ζεύς, εἷς Ἀίδης, εἷς Ἥλιός ἐστι Σάραπις.

Est enim hic deus non modo Sol Juppiter, sceptrum deorum spiritualium tenens, sed etiam Sol Pluto, animas mortuorum, qui eorum bene et pie vixerunt, in beatissima illa domicilia ad se recipiens.

In iis quæ de hominum animis scripsit Julianus, Platonem agnoscimus. Sedes enim animorum et domicilium apud deos est spirituales, unde in terram et in corpora descendunt, ut exacto vitæ curriculo domum revertantur. Quamquam non satis apparet, num cum Platone statuat ob delicta sua animos de coelo decidere.

Ne quis credat novam esse et veteribus inauditam hanc de Sole rege deorum maximo et filio summi dei, locos quosdam affert Hesiodi et Homeri, qui illud ipsum significent. Neque tamen ita probanda esse omnia, quæ vates cecinerint et narraverint mythologi, ut ea quoque vera esse credamus, quæ de diis non satis digna fixerint. Quæ pro ludo et joco poetarum habenda esse.

Quum igitur demonstrasset, qualis inter deos spirituales principatus Soli esset datus, perrexit in natura ejus decribenda velut medium tenentis locum inter spiritualem et visibilem mundum et in unum connectentis, hoc modo.

Ipsum illud *esse* vel, ut substantivo aliquo utar, substantia locum habet in mundo intellectuali. In hoc spectabili mundo nihil re vera est, omnia fiunt, velut affluente et defluente substantia. Cujus et affluxus et defluxus auctor est Sol, qui motus æternitatem efficiens æternum reddit mundum spectabilem. Et illud quidem manifestum est vitam per eum ad nos descendere. Quid igitur ad nos pertinent ceteri dii coelestes, si omnia Sol regit? At multa nec obscura vis ab iis quoque in hunc mundum demittitur; sed omnium effectus in unius Solis beneficio comprehenduntur, quum medius inter illos positus unitatem quandam omnium efficiat, omnibus in unum congruentibus velut in harmonia sonis.

Satis multa scripsit auctor, ut ostenderet, quam multis modis medius esse Sol deus existimandus esset. Quorum partem describam. Primum itaque intellectuale illud, quum omnia comprehendat, unum est. Sed etiam mundus hic per se unus est, quum sit velut animal ex corpore et animo constans. Inter has duas unitates media est et utramque conjungens unitas spiritualium, quæ in rege Sole cernitur. — Tum alio modo. Est aliquid in mundo intellectuali, quod omnia in unum componat; item est aliquid, quod spectabilem mundum

contineat, ut unus sit neque dilabatur; est autem illud, ut supra dictum, quintum corpus. Duæ sunt itaque hæ coartationis causæ, in intellectuali mundo altera, altera in spectabili. Inter quas medius Sol in spiritualibus versans velut in unum duas illas conjungit, quum illam imitetur hanc præeat. — Et rurus: vis vitæ genitalis in intellectuali mundo abundans est; cernitur eadem in spectabili mundo. Jam vero mediam habet vita genitalis in Sole sedem; in quo quanta sit vis illa, plane apparet. — Quid, si formas vel ideas consideramus intellectuales illas ab omni materia longe remotas et has, quæ cernuntur et circa materiam sunt. Nonne in medio positus Sol unus efficit, ut ad materiam usque pertinere possint formæ et ideæ? Nam sine luce Solis nec discernerentur neque essent. Sed de hac re satis multa.

Julianus, de natura dei Solis his expositis, de facultatibus ejusdem loquitur; quo loco eadem fere ac supra verbis paulum immutatis dicit. Quod et sentit ipse et necessario fieri monet, ubi de deo dicatur. Dei enim non aliam esse naturam, aliam potestatem, aliam efficientiam, quum quidquid velit deus, id et sit et possit et efficiat.

Sunt itaque dei cognati Solis et una cum eo ex summo Deo geniti, quos illius Dei naturam cumulare dicit (*τὴν ἄχραντον οὐσίαν τοῦ θεοῦ κορυφούμενοι*). Et hi quidem dei, ut in mundo multi sunt, ita circum Solem in unum congruunt. Non est itaque negandum multos deos esse suam quemque facultatem exhibentes; et tamen multi illi unus sunt, et in Sole omnium facultates insunt. Cernitur enim in eo vis Jovis opifex et vis Apollinis simplicitatem et stabilitatem efficiens, et vis Bacchi distribuens; et est ille congruentiæ pulcherrimæ inter deos dux, qui Apollo vocatur Musagetes; et quum idem ille vitæ hujus concinnitatem efficiendi vim habeat, dicitur Aesculapium in mundo genuisse, quem etiam ante mundum penes se habet.

Hæc natura est Solis, hæ facultates. Jam dicendum, quæ opera ejus sint, et primum quidem inter spirituales. Scilicet quum germanus filius sit Boni summi, spiritualibus distribuit perfectam bonitatem a patre acceptam. Tum pulchritudinem et perfectam mentem. Nam genitalis natura, quæ etiam in hoc mundo spectabili procreare studet in pulchritudine — agnoscis Convivium Platonis — multo magis in spirituali mundo non interdum sed semper illud facit. Et sicut in terra Sol oculis dat ut cernant, ita in spirituali mundo omnibus ut intelligant concedit. Nec diis solum beneficia sua impertit sed etiam angelis dæmonibus heroibus animisque particularibus, qui eorum in illo statu beato apud deos manent neque in corpora descendunt.

Alia sunt in coelo opera Solis, quæ oculis quoque cerni possint. Nam quæ in coelo videmus circa stellas et planetas fieri, ea efficit omnia rex summus Sol, et quum sint illi orbes pro diis habendi, totum coelum videmus diis a Sole expletum.

Redit oratio eodem, ut ostendantur veterum mythologorum fabulæ, si interiorem earum sententiam spectes, doctrinam hanc, quam amplectitur Julianus, de Sole rege deorum continere. Ut, quæ de diis Gratiis illi narrabant, re vera ad orbes pertinent coelestes; et ideo simulacris suis circulum imitantur Gratiæ inter se amplexæ. Et pater est earum Sol sicut omnium. Nec minus Castores circuli quidam sunt in coelo, tropici qui vocantur, a quibus revertens Sol vicissitudines tempestatum efficit et pater est temporum anni. Dicitur quidem Oceanus omnium rerum pater esse; Sol scilicet etiam Oceanus est. Jam vero qua de causa Minerva exercitus ducere putatur et urbes regere? Quia maximi illius exercitus deorum illa est dux, unitatem efficiens, ita tamen ut non confundantur. Dicitur itaque in veteribus carminibus Minerva Mens prospiciens (*Πρόνοια*), et est re vera mens prospiciens Solis. Nam quod narrant mythi eam ex capite Jovis natam esse, illud non multum a vero discrepat, quum sit Sol idem atque Juppiter. Melius tamen erat dicere totam ex toto natam esse non ex capite. Tum Venerem dicunt adjutricem esse dei Solis in opificio, non male. Vim enim genitalem in terram demittit a Sole acceptam, quem semper proxime sequitur aut antecedit; et est illa dea, si verum quæris, omnium coelestium amicitia et unitas.

Jam extrema oratione commemorat, quanta et quam multa beneficia sint Solis dei in hoc mundo sublunari, in quo nos versamur. Gignit homines et educat, quibus idem ille concedit, non solum ut oculis cernant sed etiam ut mentibus intelligant; et innumera esse in terra opera ejus salutifera neminem fugit. Quid quod ea quoque, quæ aliorum deorum beneficia putantur, non minus Soli debentur, quum in illo ceteri sint, sicut antea est dictum, uniformiter sed sine confusione. Et præter alias urbes Romam studiosissime fovet et amplectitur hic deus, nec non a romanis semper est adoratus, quamquam alia nomina usurparunt multa, Martem, Apollinem, cetera. De se denique prædicat Julianus animum suum ab omni æternitate in mundo spirituali Solem deum secutum esse illi subjectum; sicut in Phædro docet Plato animos hominum, antequam in terras deciderint, alios aliis addictos esse diis, quos per coeli regiones volantes comitentur.

Ita expositis quæ in quarta oratione continentur, ad quintam aggredior enarrandam, quæ inscribitur "In matrem deorum". Scripta est ea, si ipsi credimus Juliano, una nocte nulla antea præparatione facta neque legendo neque meditando, adeo ut de illo argumento scribere tum demum constituerit, quum chartam poposcit. Quum hac re nonnihil gloriatur, tum illud præ se fert ipsius esse commenta, quæ hac oratione contineantur, non aliunde sumpta. Nam quod ad superiorem de rege Sole orationem pertinet, Iamblicum summum et prope divinum philosophum se in ea scribenda pro viribus secutum esse et imitatum confitetur.

Ceterum quæ in hac de matre deorum oratione insunt multo minus, quam quæ in illo Solis hymno leguntur, docent, quæ de deorum natura senserit auctor. Neque tamen minus digna est, quæ diligenter legatur, si quis quærit, qualis fuerit religio Juliani.

Orsus est a fabula quadam vetere vel ex Fastis Ovidii satis nota. Romanos jussu Apollinis legationem misisse ad regem pergamenum simulacrum deæ illius petitum, ut Romæ quoque coleretur. Navem, quæ veheret simulacrum, quum jam ventum esset ad ostium Tiberis, repente substitisse velut in brevia illatam, neque ulla vi moveri potuisse, donec virgo vestalis implorato deæ numine navem traheret adversus flumen ad urbem. Cui narrationi subjicit nonnulla, quæ docent, quam de simulacris deorum opinionem habuerit. Quid, inquit, illo miraculo significare voluit dea? Nimirum simulacrum suum, quod in nave esset, non vile aliquod opus humanum esse sed re vera divinum, non inanimam materiam sed spirans aliquid ac coeleste. Neque vero nescius sum nonnullos ex iis, qui nimis sapiunt, nugas has esse anicularum judicaturos. Mihi vero magis placet iis credere, quæ in templis urbis romanæ in ære incisa traduntur et ab historicis priscis narrantur, quam elegantibus illis philosophis, quorum animulæ acriter quidem sed nihil sani cernunt.

Quum tota oratione id agat Julianus, ut fabulam de dea Cybele et Attide deliciis ejus et piam esse ostendat et sanæ rationi convenientem, si recte intelligatur, non inutile erit primum omnium hoc loco proponere ipsam fabulam talem, qualem hac in oratione eam dispicimus.

Attis sive Gallus, quum ad flumen Gallum puer expositus esset, postea grandis et formosus factus amatur a matre deorum. Quæ pileum ei stellatum donavit sivitque eum, ut libebat, saltare et tripudiare, donec in antrum descendit juvenis nymphæ amore captus. Qua de re certior facta mater deorum indice leone graviter commota fugitivum requirebat, revocans eum tubarum clan-

gore. At juvenis territus ex antro exsiluit et temeritatis poenas dedit exsectus. Tum cum dea in gratiam rediit.

Quid igitur? Hæc re vera ita, ut in fabula narrantur, evenisse credere jubemur? Immo vero negat Julianus eam esse deorum naturam, ut errent nonnumquam, tum temeritatis eos poeniteat. Veteres autem, quum divinitus excitati verum exquirere studerent, ea, quæ recte perspexissent, fabulis quibusdam specie tenus absurdis et ineptis involvisse. Ita fieri, ut, quid sibi velit fabula, is demum intelligat, cujus mens sit imbuta studio rerum coelestium et veritatis amore.

Secundum eam opinionem hanc, quæ de matre deorum et Attide est, fabulam explicavit auctor, quatenus fas erat mysteria illa omnibus enarrare. Quænam igitur est mater illa deorum? Fons est, inquit, deorum spiritualium et opificum; summum illa genuit Jovem nec non conjux est eidem dea subsistens magna post magnum et cum magno demiurgo vel creatore, quæ omnis vitæ arbitra est, omnis generationis causa, opera sua facillime efficiens, sine dolore pariens et procreans cum patre ea quæ sunt; illa et virgo sine matre et Jovi assidens et re vera omnium deorum mater. Illa itaque omnis genetionis causa, in mundo intellectuali exsistens proxime summum deum, amore capta est Attidis. Quid hoc? Et quis Attis? Essentia est mentis genitalis et opificis, quæ ad infimam materiam usque omnia gignit et in se continet omnes rationes et causas formarum ad materiam pertinentium.

Quæ omnia haud scio an magis perspicue dici possint, si ab illa philosophi subtili diligentia loquendi paulum recedens matrem deorum intelligas vim creatricem inter deos et in coelo, Attidem eandem vim in mundo spectabili manifestam, illam scilicet vim, quæ efficit, ut formas accipiat materia, descendens illa quidem usque ad infimas materiæ formas, post quas nihil restat nisi mera materia, id est vacuitas quædam et negatio, cujus est obscura notio. Est autem certus finis constitutus materiæ formandæ, quo quum pervenit vis illa creatrix constitit nec procedit ultra velut a providentia divina revocata. Quod significat descensio Attidis in antrum, unde a dea revocatus est, et ejus castratio. Quod autem nympha eum pellexisse dicitur, illud significat aquatilem materiæ naturam. Cui cum inimica sit vis ignis, leo animal fervidissimum prodidisse narratur amores Attidis et nymphæ.

Talem fuisse sententiam Juliani de hac fabula quum ex tota oratione intelligitur tum ex iis quæ 170 C, p. 221 sq. leguntur. Veteres, ait, cogitantes non solum intellectuales illos sed etiam corpora ea quæ cernuntur

— stellas dicit coelestes usque ad quintum corpus — sortis esse divinæ omni affectione libera, usque eo deos puros et sinceros esse putabant. Quum autem una cum diis exsistat et cum iis ab omni æternitate exstiterit materia, dea omnium rerum moderatrix hanc quoque velut fæcem abjectam et mortuam, abundante apud deos genitali natura, ad meliorem statum reducit. Attis itaque non invita dea eo descendit, quamquam invita ea id facere dicitur. Dii enim, qui natura in meliore statu sunt, nolunt huc detrudere meliora; multo magis huc descendentes hæc deteriora tollere student ad meliorem illam sortem. Nec fuit ullum tempus, quo non fierent hæc, quæ in fabula narrantur. Semper famulus deæ Attis ad gignendum descendit, semper exsecatur et reducitur in antiquum regnum, quod non amisit quidem sed amisisse fabulose dicitur propter commercium cum materia conjunctum.

Exposita sententia eorum, quæ in fabula narrantur, auctor ostendere conatur cærimonias, quibus celebrabantur feriæ hujus deæ, interiorem illum fabulæ sensum significare neque esse vanas aut absurdas. Hi ludi, qui a romanis megalenses dicebantur, initio circenses erant, tum etiam scenici. Temporibus autem Juliani jam addita erat actio quædam mystica per complures dies celebrata. Primo die pinus excisa est et in templum deæ illata; pinus enim Attidi sacra habebatur. Quo signo moneri homines dicit orator deæ illi dicandam esse virtutem et sanctitatem. Esse enim arborem earum quasi imaginem, quum e terra surgens ad coelum tendat. Altero die tubilustrium, quod vocabatur, factum est, quum Attidem tubarum sonitu se quærere et revocare simularunt. Qua re nos, qui a coelo in terram deciderimus, moneri, ut eo revertamur. Tertius dies datus est memoriæ Attidis exsecti. Quo nos recordari debere exsecandam esse omnem in nobis immoderationem, ut magis ad finitam et uniformem naturam vel ad ipsum illud Unum accedamus. Quo facto exsultandum esse lætitia ea re significari, quod quarto feriarum die Hilaria celebrentur.

Dubitari potest, an Romæ quoque, sicut in Asia factum est, in feriis hujus deæ agendis usque eo furoris abrepti sint nonnulli, ut rem ipsam in se peragendo Attidem exsectum imitarentur, ut digni fierent, qui sacerdotes deæ essent; et potest haud credibile videri Julianum discipulum nobilissimorum philosophorum tam nefarios ritus sacros habuisse. Sed quamquam non dixit Julianus disertis verbis illam insaniam sacram et utilem sibi videri, tamen, quum non magis significet se illud foedum facinus abhorrere, satis est causæ, cur putemus morem illum ei probatum esse ut necessarium, si recte perfici vellet ritus

ejus religionis. Quod haud scio an his verbis declaraverit in feriis deæ describendis usurpatis 168 D, p. 218, 19: tertio die metitur messis dei Galli sacra et tacenda.

Extrema orationis parte disputavit de legibus sacris, quibus vetabantur cultores deæ hujus cibos quosdam attingere. Absurdum potest videri, inquit, quod carne vesci non vetamur, quem cibum non sine injuria viventium assequimur, seminibus multis abstinere jubemur, quibus vescendis nulli vivo injuria affertur. Hæc igitur irrident impii et nimis prudentes. At tamen non sine causa ea est constituta lex. Quippe quæ iis nos abstinere velit, quæ, quum in humo condantur, ad inferiora pertineant. Eadem est causa, cur animalia quædam non gustanda putemus. Quo in numero pisces sunt, quorum est ea natura, ut se demergentes profunda petant; et sus, cujus studium in terram effodiendam totum intentum est; et est illud animal velut imago mentis a rebus coelestibus aversæ et rerum materialium sordibus deditæ. Homini autem est omni modo sursum nitendum et summa diligentia omnia cavenda, quæ animum possint deorsum trahere.

Præterea non est corporis cupiditatibus parendum. Animum corporis dominum esse et tyrannum oportet durum nonnumquam et inexorabilem. Quod non solum ipsum reddit animum meliorem sed etiam corpori et toti homini prodest. Salus enim et valetudo nulla re magis nititur quam animo. Quo bene temperato recte valet totus homo.

His duabus orationibus, quas de diis scripsit, haud scio an etiam digniora sint, quæ considerentur, si quis de religione Juliani recte judicare velit, quæ de vita pia et diis grata scripsit. Illud enim, opinor, consensu omnium, quamcumque de rebus divinis opinionem habent, conceditur semperque est concessum non satis esse vera de numine divino sentire, si quis cultor ejus probus et acceptus esse velit; necesse enim esse, ut sancte et juste vivendo, quantum in se sit, pietatis suæ reddat indicium.

Julianum autem huic rei vel maximum tribuisse momentum præclare ostendit fragmentum epistolæ, quam ad sacerdotem aliquem misit, commemorans, qui modus vivendi ei esset tenendus, cui esset datum sacerdotium. Dignum est hoc fragmentum, quod diligentissime consideremus quærentes, qualis fuerit religio et doctrina, quam a lege christianorum mentes hominum avocaturam esse sperabat. Quis enim credat illum tantopere errasse, ut putaret, quæ de natura deorum studio et ingenio excogitata proposuisset in libris non admodum simplicibus, tantum apud vulgus indoctum valere. Probe intellexit

homo non sane fatuus homines veritatem doctrinæ vel maxime spectaturos ex operibus, quæ velut fructus ferret. Plurimum itaque interesse vidit, ut sacerdotes deorum præ ceteris operam darent sancte et pie vivendo; quorum virtutum admiratione duci posse homines ad eam doctrinam amplectendam, quæ tantæ sanctitatis causa esset et fons.

Initio fragmenti, quod adhuc exstat, epistolæ ejus, de qua nunc agitur, christianorum irridet vana studia, mortem ac cruciatus expetentium et stulte credentium se tali modo recta via in coelum evolaturos. Quæ perversitas, inquit, plane ostendit miseros istos, quum deorum cultum neglexerint, poenas dare malignis dæmonibus traditos, a quibus agitati ipsi sibi maxima mala afferunt nihil proficientes. Nam in ipso illo cruciari nihil est, quod carum reddat hominem et acceptum superis.

Jam vero sicut in rebus humanis leges et instituta iis maxime cordi sunt, qui magistratum gerunt, ita sacerdotem decet præ ceteris deorum jussa servare. Et in primis benevolentia et beneficiis amor hominum est ostendendus. Hominibus enim amandis deos imitamur, quos humani generis amantissimos esse scimus. Quamquam falso simulant christiani doctrinam suam in eo præstantiorem esse, quod amorem dei in homines magis perspexerint. At vide, quid dicat Moses, quem illi laudant, deum hominibus pelles dedisse, quibus pro veste uterentur. Quanto majus est beneficium, quod nos Minervæ deberi confitemur, quod nos docuerit in his quoque commoditatem expetere cultu exquisitiore.

Cum autem omnia ostendant, quantus sit amor deorum in homines, sequitur, ut nos quoque inter nos amare velint. Cui officio parum Hercule satisfacimus. Ad se quisque quantum plurimum potest rapit, et quo quis divitior est, eo plura possidere cupit. Hominum itaque culpa fit non deorum, ut multi misere egeant, qui probitatis et virtutum causa felicitate potius maxima erant digni. Neque tamen accusandi dii: illi hominibus largiuntur, quæ omnium necessitates explere possint, sed nos plura possidendi cupidi, ut nihil satis sit, efficimus. Ita fit ut, etiamsi pluat, quod dicunt, auro, nihil ad pauperes et egentes veniat, summotos a divitibus et potentia prævalentibus, qui immissa familia et vasis dispositis omnia sibi excipiant. Quo modo contra deos vel maxime peccatur.

Quam ob rem, qui eis parere vult, largiatur ex suo egentibus nec timeat, ne inde pauper ipse fiat. Debetur autem ea humanitas non modo amicis et propinquis sed omnibus hominibus ne hostibus quidem exceptis neque iis, qui

in vinculis ob delicta tenentur. Qua audacia hoc oblitus adis templum Jovis hospitalis? Omnes inter nos velut cognati diligere debebamus. Nec non cognati sunt inter se omnes homines, sive originem duxit universum genus humanum ab uno mare et una femina, sicut volunt nonnulli, sive multi simul generis nostri auctores a diis sunt creati. Quod quidem verius esse non solum ratio docet sed etiam ipsorum verba deorum per antiquos sacrorum ministros nobis enuntiata. Animas enim humanas a summo deo dei spirituales ab omni æternitate acceperunt; tum suas quisque in vitam humanam induxerunt; quo fit ut alii aliis diis magis addicti simus. Sed tamen, velut uno numine et una voluntate omnibus agentibus diis, fratres sunt habendi germani, quos procrearunt illi, homines.

Jam quæritur, quid diis ab hominibus debeatur. Pietas nimirum et honor et reverentia, quæ non minime spectantur in colendis templis et simulacris eorum. Quæ majores nostri signa deorum præsentiæ constituerunt, non ut ipsa illa simulacra deos esse putaremus, sed ut per illa diis officia redderemus. Quum enim corporea nos simus natura, corpora nostra corporaliter serviant diis necesse est; nam aliter nequeunt. Ad deos autem, quippe qui spirituales sint, talia pervenire non possunt. Itaque illa ab antiquis via est inventa, qua honorem iis haberemus. Quæ via præmonstrata est quodam modo ab ipsis diis; qui, ut ad sensus nostros natura sua accedere posset, in visibilem speciem descenderunt stellarum coelestium. Sed ne ad illas quidem munera nostra perveniunt. Restat ut simulacra deorum et templa, quæ attingere possumus, donis veneremur et sacrificiis.

Qua in re impium est et stultum quærere, id quod multi faciunt, num ejus modi rebus egeant coelestes. Dona et sacrificia iis a nobis offerri nihil ipsorum interest, nostra plurimum. An quia ne laudibus quidem nostris egeant et vocibus supplicibus, ideo sunt illa omittenda? Et quod dicunt nonnulli omnes externas actiones, quibus deos colimus, quippe quæ ad spiritualem divinitatis naturam nihil pertineant, nullam prorsus afferre utilitatem, deo autem esse spiritualiter serviendum, nihil aliud quam illa utuntur excusatione, ne ea suscipiant officia, quæ perficere possint, simulantes se alia quædam suscipere, quæ potestatis humanæ vix sunt; unde omnia negligunt, quæ ad deos colendos pertinent.

Quamquam igitur minime arbitramur simulacra illa deos esse, tamen impium ducimus lapides et ligna vocare. Ne regum quidem statuas pro lapidi-

bus et lignis contemnunt boni cives; sed quod regum venerandorum imagines exprimunt, ipsæ sanctæ et venerandæ habentur.

Non sunt prætermittenda quæ hoc loco in textum irrepserunt verba librarii fortasse alicujus christiani superstitionem Juliani satis vehementer increpantis. Nisi addita sunt hæc verba a defensore scriptoris nostri, qui ostendere voluit eum superstitionis talis falso incusatum esse ab inimicis, eamque ob causam posuit crimina eorum proxime verba Juliani, quibus illa crimina refutarentur. Hæc autem inseruntur. "At non oportebat, o qui omnem dæmonum multitudinem in animo tuo alte subnixos ostendisti, illos corpore præditos effingere, quos specie et forma carere ipse dicis. Quî possumus non putare lapides et ligna, quæ hominum manus finxerunt. An putas, qui vel ipsis lapidibus insipientior es, ceteros quoque omnes sicut te a malignis dæmonibus naso circumduci, ut credant deos esse opificia sua". Videsne nihil profecisse Julianum, quam maxime potuit affirmantem se templa et simulacra colenda esse putare, quod deorum essent, non quod divina?

Pergit autem Julianus eadem de re hunc in modum loqui. Quis igitur credat immortalia esse aut illa simulacra deorum aut ullum opus humanum? Ne mireris impios homines potuisse et templa et simulacra deorum evertere frangere comburere; quod tamen non impune eos fecisse jam satis notum est.

Quod autem prophetæ judæorum, religionem nostram irridentes, nos colere velut deos dicunt, quæ manu facta sint et perire possint, simul quærentes, cur illa non tueantur dii nostri, si tantum valeant, illi quidem non suo jure exprobrant. Quid enim est quod glorientur judæi templa et simulacra deorum nostrorum haud pauca periisse, quum templum dei ipsorum, quod Hierosolymis fuit, ter sit prostratum et ad hunc diem jaceat? Quod non ideo dico, ut religionem aut deum eorum irrideam; nam mihi quoque ille Jehova deus esse videtur, cujus in potestate sint judæi velut in aliorum alii populi, nec non in mentem mihi venit denuo erigere templum illius [1]). Sed apparet, opinor, caduca esse omnia, quæcumque manus hominum erexerunt, etiamsi quæ diis dedicata sunt jure sancta habentur.

Quod si summo in honore habenda sunt, quæ ad cultum deorum pertinent, sequitur, ut sacerdotes quoque eorum et honore et benevolentia summa ab hominibus affici debeant, quippe qui ministri et famuli sint deorum et pro nobis orent et sacra faciant. Ne ita quidem, si qui forte visi sunt improbi aut

[1]) Dixit se cogitasse illud facere, non conatum esse, ut falso interpretati sunt nonnulli.

dissoluti, fas est eam ob causam omnes despicere. Multo magis, donec in sacerdotio erunt, honorandi sunt omnes; sacerdotio autem privandi, qui eo indigni visi erunt. Sacerdotibus enim honorem haberi ipsa deorum oracula disertis verbis sæpissime jusserunt. Nostrum itaque est illud jussum servare, sacerdotis autem summa diligentia studere, ut talis sit, qualem sacerdotem deorum esse decet.

Qualem vero esse deceat, jam ego docebo, non quod tu, vir præstantissime, præceptis meis egeas, sed ut meo nomine ceteros, quibus tu præpositus es, moneas majore auctoritate, quoniam ego a diis institutus sum pontifex maximus, parum hercule dignus, at tamen summo studio, ut dignus fiam, nitens. Nobis autem, qui sacerdotes sumus, maxima post mortem præmia sunt proposita, ut consentaneum sit nos, dum in vita sumus, officia omnia diligentissime exsequi. Quorum primum est, ut pium erga deos animum geramus semper cogitantes illos, etiamsi non conspiciantur, tamen adesse et acie quadam divina visus eorum usque in intimos mentium nostrarum recessus penetrare; id quod gravissimis monent verbis responsa oraculorum plurima.

Interest itaque plurimi, ut sancti ad deorum aras accedamus, caventes ne quid turpe aut ipsi dicamus aut audiamus, quo possit mens inquinari. Abstineat sacerdos et hominibus et libris levioribus et dissolutis. Ne legat Archilochum aut Hipponactem aut veteres illos comicos. In philosophiam totum studium litterarum conferat, neque vero omnibus philosophis operam dando, sed iis qui de diis sanas et pias sententias proposuerint, docentes et esse deos et his rebus prospicere nec nocere aut invidere hominibus aut sibi invicem. Quis enim non velut fabulas contemnat, quæ de proeliis de ira de invidia deorum finxerunt poetæ nostri? At quæ non minus impia et inepta fuderunt prophetæ judæorum, illa admirantur, illa divina habent qui sectam Gallilæorum sequuntur.

Historiam rerum gestarum cognoscere non ab re est; sed procul sunto narrationes fictæ de argumentis amatoriis, nec minus Epicurei et Pyrrhonii libri. Vix enim fieri potest, ut quis ad ejusmodi res mente et cogitatione accedat, quin hæreat aliqua in animo macula.

Hymni autem deorum diligentissime legendi sunt et ediscendi, quorum maxima pars non ab homine aliquo sed ab ipsis deis dati sunt suppliciter invocatis, nonnulli ab hominibus scripti afflatu spiritus divini. Et precatione utendum est cum sacrificio in dies ter aut minimum bis sub lucem et sub noctem, tum quum non in officio perficiendo versatur sacerdos. In templis enim omnia

agenda sunt ritu majorum ex legis præscriptis, quum consentaneum sit sacra eorum, qui mutari nequeant, ne ipsa quidem mutari.

In sacerdotio fungendo Romæ is est constitutus mos, ut triginta continuos dies in templo versetur sacerdos, tum locum cedat collegæ. Oportet eum, qui successurus est, diem et noctem integrum se ab omnibus rebus profanis conservare et sequenti nocte iis lustrationibus expiatus, quas ritus sacri præscribunt, ita templum ingredi. Ubi quum præstitutum tempus degerit philosophando et ministerium curando congressus hominum vitans, redeat ad quotidiana vitæ negotia alio succedente. Quoniam enim non totus est animus homo, non est postulandum, ut omnem transigat vitam sine ulla temporis intermissione piis cogitationibus deditus. Sed tum quoque, quum extra templum versatur sacerdos, omnes ei cavendæ sunt res turpes et inhonestæ. Convivio interesse licet modo honestorum; in forum progredi non vetatur; optimis utatur; pauperes sustentet.

Minime autem est probandum, quod faciunt nonnulli, ut etiam extra sæpta templorum et in coetu hominum se jactentur ea ornatus magnificentia, quæ in deorum honorem adhibenda est quum ministerio fungitur sacerdos, quum templum relinquit deponenda. Neque enim grata est diis hominis superbia, nec fas est sanctum illum ornatum inquinari contagione hominum et rerum turpium, quam non potest vitare is, qui in loca publica prodeat, quum non omnia possit prospicere et cavere.

Modestus itaque et simplex inter homines versetur sacerdos, multa idem vitet eorum, quæ sibi permittunt plerique. Inter quæ illud in primis cavendum est, ne theatra visat. Nam ludi, qui in iis aguntur, quum initio instituti sint ad Bacchum celebrandum, jam in eam lasciviam delapsi sunt, ut de restitutione veteris honestatis desperandum esse videatur.

In sacerdote vero eligendo non est quærendum, quibus quis parentibus ortus sit, honestis an obscuris, neque dives an pauper sit, sed hæc tantum duo in ipsius moribus quærenda amor deorum et amor hominum. Deorum autem amoris indicium est, si quis ad pietatem erga deos omnes suos adducit; hominum amoris si, quamquam parva est ipsius res, tamen pro viribus succurrit miseris et egentibus. Quod officium a nobis antea neglectum animadvertentes Gallilæi pessimum facinus hujus officii specie perpetrarunt. Beneficiis enim et benevolentia erga pauperes simulata plurimos allexerunt, ut relicto deorum cultu impiam illorum doctrinam amplecterentur.

Hactenus exposita sunt ea quæ in fragmento illo epistolæ continentur. Eadem fere altera epistola monuit, quæ et ipsa satis docet eum sperasse posse hominum animos ad veterem religionem revocari, si viderent sacerdotes ceterosque deorum cultores operam dare pie vivendo et virtutibus omnibus colendis. Quum enim intelligeret non satis esse curare, ut sacra deorum rite fierent, nullam aliam causam esse putavit, cur non etiam plures ad deos reverterentur — quamquam progressus fecisse maximos causam eorum gloriatur — quam quod non ut deberent sancte vivendo et bene faciendo operam darent, qui veram profiterentur religionem. Itaque Arsacium, pontificem Galatiæ monuit hac epistola (XLIX), quam nobis servavit Sozomenus, historiæ ecclesiasticæ scriptor, ut non solum ipse laudem expeteret virtutum, quarum specie deciperent stultam multitudinem christiani, sed etiam ceteros, quibus præpositus esset, Galatiæ sacerdotes cogeret, ut ita vivendo studerent. Cujus modi esse beneficia erga hospites, pietatem in mortuis sepeliendis spectatam, vitæ sanctimoniam. Ea autem in re agendum esse tanta cum severitate, ut amoverentur a sacerdotio, si qui parere nollent aut quemquam sinerent in domo sua esse a pietate erga deos aversum. Illud in primis sacerdoti cavendum esse, ne adiret theatra, neve in taberna biberet, neve artem parum honestam exerceret. Hospitia paranda plurima, quibus exciperent miseros et egentes homines, qualem de diis haberent sententiam, non quærentes. Ad quos sumptus sustinendos vectigalia quædam annua constituit. Turpe enim esse, quum inter judæos nemo mendicaret, christiani vero pauperes alerent non suæ modo religionis sed etiam eos qui ei non essent addicti, veterum et verorum deorum cultores talis humanitatis laude ad id tempus carere. At non semper ita fuisse, nec christianos beneficentiæ erga pauperes primos operam dedisse. Jam antiquissimis temporibus Homerum monuisse, ut hospites benigne haberentur, utpote qui in tutela essent Jovis summi.

Præterea docet hæc epistola Julianum imbutum fuisse eadem fere de majestate sacerdotii opinione, quam illis temporibus præ se ferebant episcopi christiani summo studio nitentes, ut sibi concederetur in rebus ecclesiasticis potestas vel potius regnum nullius imperio subjectum. Gliscebat audacia, qua erant aliquando pontifices romani cum regibus de principatu certaturi. Julianus, ne suæ religionis sacerdotes minus venerandi haberentur quam christianorum, simili studio cavendum monuit, ne summissius se gererent adversus præfectos et duces exercituum. Raro illos a pontifice domi visendos, neque urbem intrantibus ab illo obviam eundum; quotiescumque autem templa adirent, non extra portam

salutandos; nec fas esse tum milites stipatores esse; nam simul templi limen supergressus esset, jam non ducem esse sed privatum; intus enim pontificem principem esse.

Discrepat finis epistolæ a clementia et æquitate supra adhibita, ubi jusserat eodem ordine habendos esse in beneficiis tribuendis omnes egenos, et qui suæ religioni addicti essent et qui eam aspernarentur. Promisit enim se Pessinuntiis auxilium laturum sed ea condicione, ut propitiam sibi reddere studerent matrem deorum. Nulla enim miseratione dignos, qui diis immortalibus parere nollent prædicavit versibus duobis Homericis.

Sunt præter eas, quas nunc commemoravi, epistola una et altera, quæ de rebus ad religionem pertinentibus totæ sint scriptæ; sed quoniam et breviores sunt nec tam idoneæ unde discas, qualis fuerit religio Juliani, non satis causæ esse putavi, cur hoc loco eas diligentius enarrarem. Potius duxi, quæ in iis observanda sunt, in tertia operis mei parte tractare, quæ hinc jam incipiet. Erat autem id mihi propositum, ut ibi in unum conferrem et in ordinem aliquem redigerem, quæ et in scriptis supra enarratis et in reliquis passim de rebus divinis dixisset auctor.

III.

Hic primum quæritur, qua via ad cognitionem rerum divinarum perveniri putaverit Julianus. Quam cognitionem natura hominibus datam esse vel clarissime his verbis docet (c. Chr. 52 B, p. 165, 1) *Ὅτι δὲ οὐ διδακτὸν ἀλλὰ φύσει (τὸ εἰδέναι θεὸν) τοῖς ἀνθρώποις ὑπάρχει, τεκμήριον ἡμῖν ἔστω πρῶτον ἡ κοινὴ πάντων ἀνθρώπων ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ καὶ κατ᾽ ἄνδρα καὶ ἔθνη περὶ τὸ θεῖον προθυμία. ἅπαντες γὰρ ἀδιδάκτως θεῖόν τι πεπιστεύκαμεν — — — — ταύτῃ δὴ τῇ κοινῇ πάντων ἀνθρώπων ἐννοίᾳ πρόσεστι καὶ ἄλλη. πάντες γὰρ ἄνθρωποι οὐρανῷ καὶ τοῖς ἐν αὐτῷ φαινομένοις θεοῖς οὕτω δή τι φυσικῶς προσηρτήμεθα, ὡς καὶ εἴ τις ἄλλον ὑπέλαβε παρ᾽ αὐτοὺς τὸν θεόν, οἰκητήριον αὐτῷ πάντως τὸν οὐρανὸν ἀπένειμεν.* Consensus itaque om-

nium hominum, quo et deum esse judicant et coelum domicilium ejus esse, ostendit neminem illud ceteros ab initio docuisse sed ipsa natura magistra scientiam eam mentibus hominum insitam. Quid autem est naturam homines docuisse dicere aliud quam dicere ipsos deos sui scientiam nobis tribuisse? Quare in reprehendenda cynicorum impudentia queritur illos insultare non modo leges, quæ ad juste et bene vivendum ducant, sed etiam præcepta deorum in mentibus nostris inscripta, quibus omnes sine ullius institutione numen aliquod divinum esse persuasum habemus. (209 C, p. 271, 14 *ὥστε πεπατῆσθαι — καὶ τοὺς ἐκ τῶν θεῶν ἡμῖν ὥσπερ ἐγγραφέντας ταῖς ψυχαῖς* (*νόμους*), *ὑφ' ὧν πάντες ἀδιδάκτως εἶναι θεῖόν τι πεπείσμεθα.*)

Deorum itaque beneficio ad eorum cognitionem adducimur; neque hoc ita tantum fit, ut naturalem quandam notionem sui nobis addiderint, sed etiam ita, ut ratione et prudentia præditi investigare possimus, quid verum sit, nec non signis quibusdam et enuntiatis divinitus certiores fiamus.

Et ratione quidem nos ad deos duci vel ita significat, ut Platonem laudans rationem et prudentiam alio nomine appellet deum qui in nobis est. (68 D, p. 88, 2 *νῷ καὶ φρονήσει καὶ τὸ ὅλον τῷ ἐν ἡμῖν θεῷ.*) Neque aliud fuit donum illud nobile, quod una cum igni dei per Promethea hominibus miserunt. (182 C, p. 236, 14 *ἡ τῶν θεῶν εἰς ἀνθρώπους δόσις ἅμα φανοτάτῳ πυρὶ διὰ Προμηθέως — — οὐκ ἕτερόν ἐστι παρὰ τὴν τοῦ λόγου καὶ νοῦ διανομήν.*) Hujus doni auxilio opera deorum contemplantes ad eorum notitiam venimus; sicut de Sole deo dicit 148 D, p. 193, 5 *συνῆκαν γὰρ ἄνθρωποι τὸν θεὸν ἐξ ὧν ὁ θεὸς ὅδε ἐργάζεται.* Duce autem ratione eo magis possumus ad notitiam rerum divinarum pervenire, quia, ut in hymno Solis dixit, talis putandus est ordo in mundo spirituali, qualem in visibili cernimus coelo, ut liceat ex iis, quæ cernuntur, conjicere, qualia sint ea, quæ non cernuntur. (Cfr. 135 B, p. 175, 3 *πῶς οὖν οὐκ εἰκότως καὶ τὴν πρεσβυτέραν τῶν σωμάτων ἐν τοῖς νοεροῖς θεοῖς διακόσμησιν ὑπολαμβάνομεν ἀνάλογον* (*ἀναλογίαν?*) *ἔχειν τῇ τοιαύτῃ τάξει;* et infra p. 138 B, 179, 7 *ἐκ τῶν ἐμφανῶν ἀξιοῦμεν ὑπὲρ τῶν ἀφανῶν πιστεύειν.*) Epistola autem LI, qua alexandrinos vituperat, quod a diis se averterint, monet eos, quot et quam manifesta opera sint et Solis et ceterorum deorum, ut mentis sit et occæcatæ et obduratæ illos deos esse negare.

Major autem et certior, quam e sensu nostro et ratione ducitur, deorum notitia ipsorum deorum signis et vocibus nobis data est. Hoc enim cognitionis fonte ceteros viliores sibi videri haud obscure ostendit Julianus. Ut legimus

292 A, p. 375, 20 — *εἰς τὸ διάφορον ἀποβλέψαντα τῶν ἠθῶν καὶ τῶν νόμων, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὅπερ ἐστὶ μεῖζον καὶ τιμιώτερον καὶ κυριώτερον, εἰς τὴν τῶν θεῶν φήμην* — et infra 292 B, p. 376, 4 *καθάπερ οἱ θεοί φασι καὶ χρὴ πιστεύειν.* Tum alio loco, ubi de immortalitate animi loquitur, confitetur se nullis humanis rationibus adductum fidem eam habere, sed deis solis credentem. (452 D, p. 586, 5 *πειθόμεθα δὲ τῶν μὲν ἀνθρώπων οὐδενί, τοῖς θεοῖς δὲ μόνον, οὓς δὴ καὶ μάλιστα ταῦτα εἰκὸς εἰδέναι μόνους, εἴ γε χρὴ καλεῖν εἰκὸς τὸ ἀναγκαῖον. ὡς τοῖς μὲν ἀνθρώποις ἁρμόζει περὶ τῶν τοιούτων εἰκάζειν, ἐπίστασθαι δὲ αὐτὰ τοὺς θεοὺς ἀνάγκη.*)

Dei autem, ut homines doceant, quum ostentis quibusdam utuntur, qualia sunt tonitrus et volatus avium et quæ in sacris faciendis cernuntur et alia ejus generis, tum disertis verbis per oracula aut vates spiritu divino concitatos, quid verum sit et quid sibi placeat, enuntiant. Oraculorum verba afferre solet Julianus, quum quid quam maxime fieri potest affirmare vult; iis enim non credere nefas ducit. Itaque in ep. LXII ad hominem quendam, qui a secta christianorum non aversus sacerdoti injuriam attulerat, ut quantum esset illud peccatum moneret, ita scripsit: (450 D, p. 584, 1) *ἐπειδή σοι πέφηνε μυθώδη τὰ παρ' Ὁμήρῳ, τῶν τοῦ Διδυμαίου δεσπότου χρησμῶν ἐπάκουσον, εἴ σοι φανείη πάλαι μὲν ἔργῳ νουθετήσας καλῶς τοὺς Ἕλληνας, ὕστερον δὲ τοὺς σωφρονοῦντας διδάσκων τοῖς λόγοις* — post quæ affert verba oraculi illius, quibus poenæ intenduntur gravissimæ, si quis sacerdotem deorum violaverit.

Idem illud oraculum pro verbis ipsius Apollinis Didymæi affert 297 C, p. 382, 7; quo loco initium subjicit alius ejusdem dei oraculi, verbis *ὁ θεός φησι* præmissis. Quum paulo infra ostendere conatur deos omnia videre et pios iis cordi esse, aliud oraculum allaturus hæc præfatur: (299 C, p. 384, 4) *ὅτι δὲ οὐκ ἐμὸς ὁ λόγος οὗτός ἐστιν ἀλλὰ τοῦ θεοῦ, διὰ πολλῶν μὲν εἰρημένος λόγων, ἐμοὶ δὲ δῆτα ἀπόχρη καὶ ἕνα παραθεμένῳ δύο δι' ἑνὸς παραστῆσαι, πῶς μὲν ὁρῶσιν οἱ θεοὶ πάντα, πῶς δὲ ἐπὶ τοῖς εὐσεβέσιν εὐφραίνονται* [1]).

Haud facile denique umquam locutus est de oraculis, quin deos per ea loqui significaret. Apollinem enim cum ceteris diis tristem hominum conditionem miseratum oracula sua in omnibus terris erexisse et divinam hominibus sapientiam dedisse et ornasse civitates sacris et civilibus legibus (v. 152 D, p.

---

[1]) Locum initio corruptum emendare vult Hertlein *ἔστι* pro *ὅτι* posito et quod sequitur *ἐστιν* deleto.

198, 6) et græcis quidem re vera fuisse Pythiam ducem ad omnia pulcherrima. (v. 159 B, p. 206, 17).

Nec græcorum tantum clarissimis oraculis divinam tribuit auctoritatem sed aliis quoque multis. Ut in libris contra christianos (c. Chr. 194 B, p. 195, 24) de sacris romanorum legibus et institutis a Jove datis talia dicit: *ταῦτα μὲν οὖν ἐκ κατοχῆς καὶ ἐπιπνοίας θείας ἔκ τε τῶν τῆς Σιβύλλης καὶ τῶν ἄλλων, οἳ δὴ γεγόνασιν κατὰ τὴν πάτριον φωνὴν χρησμολόγοι, φαίνεται δοὺς ὁ Ζεὺς τῇ πόλει.*

Oraculis igitur et prophetis a diis afflatis maximam habendam esse fidem censet. Sed facere non potest, quin multos excludat, qui prophetæ haberi velint neque eo nomine sint digni. Quo in numero judæorum prophetas habeat necesse est, quippe qui præter deum, quem ipsi colerent negarint quemquam esse. Quorum mentionem facit Julianus 295 C, p. 379, 22, eos nugari dicens, non quod laudes celebrent sui Jehova, nam illud quidem recte fieri, sed quod alia numina esse negent. Cujus rei causam esse quod a litteris et doctrina aversi mentes non siverint iis emendari, ad plenum lumen veritatis conniventes. Tali ratione cavit Julianus, ne sibi probandi essent alii prophetæ, quam quorum carmina cum ipsius sententiis congruerent; illos scilicet solos satis fuisse eruditos ad veritatem capiendam universam.

Sed ita quoque periculosum erat, quum veterem religionis formam servare et restituere vellet, concedere vates numine afflatos verba ipsorum deorum etiamtum fundere, modo imbuti essent artibus et doctrina, quibus ceteris gentibus præstarent græci et romani. Illis enim temporibus ad doctrinam christianorum accesserant non parva tantum et simplicia ingenia sed etiam homines multarum litterarum et summæ eruditionis. Quid, si inter illos exstitissent qui divino numine afflati a suis dicebantur, an iis quoque fides habenda? At illud quidem non potuit concedere. Illos itaque prophetas probat, illa oracula deorum ipsorum voces reddere dicit, quæ antiquis temporibus viguerant. Ea enim est hominum natura, ut majore cum reverentia audiantur, quæ e longo temporum recessu resonant, quæ nuper sunt proposita haud facile sancta habeantur.

Quod quum non fugeret Julianum nec posset aut ipse credere divina esse omnia, quæ recentiore memoria in templis oraculorum quondam tantopere celebratis inania canebantur, aut alios ad eam superstitionem adducere, una ei relicta erat via, quam ingressus est. Spiritum divinum, qui humanas mentes afflaret, non semper descendere sed certis temporibus et interdum retineri. In hanc sententiam disputavit contra christianos apud Cyrillum 198 B, p. 196, 17

illos monens non apud græcos solum sed etiam apud judæos idem accidisse. (*τὸ γὰρ ἐκ θεῶν εἰς ἀνθρώπους ἀφικνούμενον πνεῦμα σπανιάκις μὲν καὶ ἐν ὀλίγοις γίνεται καὶ οὔτε πάντα ἄνδρα τούτου μετασχεῖν ῥᾴδιον οὔτε ἐν παντὶ καιρῷ. ταύτῃ τοι καὶ τὸ παρ' Ἑβραίους ἐπέλιπεν, οὐκοῦν οὐδὲ παρ' Αἰγυπτίοις εἰς τοῦτο σώζεται. φαίνεται δὲ καὶ τὰ αὐτοφυῆ χρηστήρια ταῖς τῶν χρόνων εἴκοντα περιόδοις.*) Sed præclusa illa via Jovem romanis tam propitium fuisse, ut non omne cum diis commercium rescinderetur, servatis sacris ritibus, quibus, in sacrificando, opinor, aut de coelo servando, indagare possent, quæ opus essent. (c. Chr. 198 C, p. 197, 6. *ὁ δὴ φιλάνθρωπος ἡμῶν δεσπότης καὶ πατὴρ Ζεὺς ἐννοήσας, ὡς ἂν μὴ παντάπασι τῆς πρὸς τοὺς θεοὺς ἀποστερηθῶμεν κοινωνίας, δέδωκεν ἡμῖν διὰ τῶν ἱερῶν τεχνῶν ἐπίσκεψιν, ὑφ' ἧς πρὸς τὰς χρείας ἕξομεν τὴν ἀποχρῶσαν βοήθειαν.*)

Hujus generis signa, per quæ diis volentibus res occultas perspicere liceret, nonnulla commemoravit passim auctor. De fulmine locutus est 212 B, p. 275, 6 mentione facta de Diogene, qui illud non formidasse dicebatur et ob eam rem non a deo aliquo missum putasse videbatur. Quod falso credi contendit Julianus; nam se quoque multa sæpe deorum ostenta vidisse non formidantem. Aliis locis non satis significat, quibus deorum ostentis paruerit, sibi talia missa esse narrans. Ut dicit 298 B, p. 382, 27 summos deos sibi ostendisse hominem eum, ad quem litteras misit, optimum futurum sacerdotem. Tum 382 B, p. 493, 17 in epistola, quam ad avunculum Julianum dedit post regnum occupatum, affirmat deos se disertis verbis (*διαρρήδην*) hortatos esse, ut armis se tutaretur contra Constantium. Et suscepta expeditione persica ad Libanium hæc scipsit 399 D, p. 516, 8: *ἀπὸ τῶν Λιτάρβων εἰς τὴν Βέροιαν ἐπορευόμην, καὶ ὁ Ζεὺς αἴσια πάντα ἐσήμηνεν ἐναργῆ δείξας τὴν διοσημίαν.* Ad Maximum autem scribit 415 A, p. 536, 5 se de ejus salute deos interrogantem per amicos, quum tam cari capitis periculum ipse audire aut videre non auderet, responsum tulisse lætum quidem sed non sine sollicitudine.

Nonnumquam vero de his rebus ita locutus est, ut credibile videatur eum non ostenta deorum usitatiora significasse sed species quasdam coelestes sibi majore cum miraculo oblatas. Ut in epistola illa ad Maximum 415 B, p. 536, 12 hæc leguntur: *μάλιστά σε πυθέσθαι ἄξιον, πῶς μὲν ἀθρόως τῆς ἐπιφανείας ᾐσθόμεθα τῶν θεῶν.*

Quamvis autem — id quod ex his quæ attuli satis apparet — putaret Julianus commercium quoddam cum diis homines etiamtum habere posse, idem non semel declaravit commercium illud antiquis temporibus et frequentius et

majus fuisse. Quo factum est, ut veteres illos divinos diceret et fide dignissima judicaret, quæ illi de diis sensissent. Maxime vero vituperandi ei videntur, qui sententiis veterum neglectis nova quædam et nuper inventa amplexi sunt. In oratione secunda, ad laudes Constantii amplificandas scripta, Herculem Jovis filium esse commemorans dicit (82 A, p. 105, 8) veteres illud intellexisse mira quadam divinandi facultate, quippe qui natura duce philosophi essent, non ut suæ ætatis homines ficte et ab aliis instructi. Qua de re in primis audienda sunt, quæ dicit 453 B, p. 587, 1 in epistola ad pontificem Theodorum scripta, præceptis nonnullis de vita sacerdotum datis: *καὶ γὰρ οὐδὲ ἀποσχεδιάζω τὰ πολλὰ τῶν τοιούτων, ὡς ἴσασιν οἱ θεοὶ πάντες, ἀλλά, εἴπερ τις ἄλλος, εὐλαβής εἰμι καὶ φεύγω τὴν καινοτομίαν ἐν ἅπασι μέν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἰδίᾳ δὲ ἐν τοῖς πρὸς τοὺς θεούς, οἰόμενος χρῆναι τοὺς πατρίους ἐξ ἀρχῆς φυλάττεσθαι νόμους, οὓς ὅτι μὲν ἔδοσαν οἱ θεοί, φανερόν· οὐ γὰρ ἂν ἦσαν οὕτω καλοὶ παρὰ ἀνθρώπων ἁπλῶς γενόμενοι.* Alio autem loco (155 D, p. 202, 6) ut Solem deum jure colendum esse doceat, maioribus id persuasum fuisse inde a temporibus Numæ regis monet, quum natura divini essent et ingenio præstantes. (*ἅτε οἶμαι φύσει θεῖοι καὶ περιττοὶ τὴν διάνοιαν.*)

Jam quærendum est — id quod Juliani scripta legentes præcipuo studio attendere consentaneum est — quantam tribuerit auctoritatem fabulis illis de diis antiquis haud raro absurdis et specie tenus impiis, quantam vero hymnis sacris, quibus laudes efferebantur deorum et opes et beneficia prædicabantur. Et de his quidem hymnis quid senserit, vel maxime declarat locus in fragmento epistolæ 301 D, p. 386, 27, ubi hymnos illos sacerdotibus ediscendos monet his verbis: *ἐκμανθάνειν χρὴ τοὺς ὕμνους τῶν θεῶν· εἰσὶ δὲ οὗτοι πολλοὶ μὲν καὶ καλοὶ πεποιημένοι παλαιοῖς καὶ νέοις· οὐ μὴν ἀλλ' ἐκείνους πειρατέον ἐπίστασθαι τοὺς ἐν τοῖς ἱεροῖς ᾀδομένους. οἱ πλεῖστοι γὰρ ὑπ' αὐτῶν τῶν θεῶν ἱκετευθέντων ἐδόθησαν, ὀλίγοι δέ τινες ἐποιήθησαν καὶ παρὰ ἀνθρώπων, ὑπὸ πνεύματος ἐνθέου καὶ ψυχῆς ἀβάτου τοῖς κακοῖς ἐπὶ τῇ τῶν θεῶν τιμῇ συγκείμενοι.* Julianus itaque carminibus illis divinam auctoritatem vindicabat tantum non iisdem verbis, quibus de libris suis sacris utebantur christiani. Quod utrum morem eorum secutus fecerit, an ipsorum fuerit commentum sacerdotum gentilium, non dijudicaverim equidem.

Illud cuipiam mirum videri potest, quod non putat de hymnis loquens discrimen faciendum, ut eum inter oracula sana et ficta item inter vaticinia prophetarum discernere videbamus, et mox videbimus idem facere de fabulis, quibus facta deorum narrantur. Sed re magis considerata, cur illud hic super-

vacaneum putaverit, apparebit. Quamvis enim et veterum et recentiorum carmina amplecteretur, de iis tantum locutus est, quæ sacra essent judicata, a pontificibus nimirum, et in templis canerentur.

De fabulis autem deorum aliam est rationem secutus. Satis notum est multis jam seculis ante legem christianam ortam fabulas eas irrisui fuisse et philosophis plerisque et comoediarum scriptoribus et aliis plurimis, quum etiam minuti ingenii homines intelligere sibi viderentur diis immortalibus prorsus indigna esse, quæ in illis narrabantur pleraque. Nulla via facilior datur aditus ad sapientiam, qualiscumque illa est, quam quæ stultitiam aliorum irridendo initur. Quid igitur mirum, si tam vili pretio multi sapientiam mercabantur? Inde studium natum est gravioris judicii hominum ostendendi insanire irrisores illos, quum non dispicerent, quæ re vera continerentur in fabulis illis sub specie absurda. Inter quos fabularum vindices satis erit nominasse Aeschylum, ut appareat, quam vetus fuerit illa consuetudo.

Itaque jam præmonstrata erat via, quam ingredi oportebat defensores veteris religionis, quum christiani impetus intendebant vehementissimos in easdem illas fabulas, quarum insaniam et impietatem accusantes, perversam esse rationem numinis divini colendi gentilium clamabant. Quam defensionem fabularum suscepit etiam Julianus, neque ita solum ut interiorem fabularum sensum in lucem proferre conaretur, sed etiam nonnulla, quæ apud poetas antiquissimos narrabantur, velut vana contemnens.

Jam si quærit ab Juliano aliquis, quo consilio dei voluerint ea, quæ homines de rebus coelestibus scire oportebat, vanis fabulis ita implicari, ut ad omnia perversa credenda vulgus inducatur stolidum, vix intelligant prudentissimi, quid inde sit sani eruendum, ita quærenti respondet ille his verbis, quæ in oratione septima contra cynicum Heracleum scripta leguntur, (216 C, p. 280, 15) *φιλεῖ γὰρ ἡ φύσις κρύπτεσθαι καὶ τὸ ἀποκεκρυμμένον τῆς τῶν θεῶν οὐσίας οὐκ ἀνέχεται γυμνοῖς εἰς ἀκαθάρτους ἀκοὰς ῥίπτεσθαι ῥήμασιν.*

Cui non in memoriam revocant hæc, quæ in evangelio legimus Christum nisi per parabolas nihil ad vulgus locutum esse, quum discipulis solis liceret secreta regni Dei cognoscere? Haud aliter suis diis placuisse contendit Julianus in hominibus instruendis ita agere, ut plerique audientes nihil intelligerent, pauci quidam doctrinam in fabulis latentem attingerent. Contra quæ dicere poterant adversarii ejus christiani plurimum interesse inter fabulas gentilium absurdas et impias et parabolas Christi, in quibus nullum inesset verbum, quo quis offendi posset. Habuit Julianus quæ ad hæc quoque responderet. Non

sine causa diis placuisse, ut fabulæ illæ primo aspectu turpes potius quam pulchræ et honestæ essent. Nam ipsam illam turpitudinem velut magna voce clamare, ne quis simpliciter crederet illis, sed diligenter exquireret, quid ibi lateret. Si enim pulchræ essent et honestæ fabulæ, periculum fore, ne omnibus vera viderentur, ut naturam deorum excellentem quidem et longe præstantissimam putarent sed tamen humanam. Jam specie illa parum honesta excitari mentes prudentium, ut suspicarentur naturam divinam nullam cum hominibus habere similitudinem et super eos immane quantum esse elatam. (v. 222 C, p. 288, 12 κατὰ μὲν τὴν διάνοιαν ἀπεμφαίνοντες ὅταν οἱ μῦθοι γίγνονται περὶ τῶν θείων, αὐτόθεν ἡμῖν ὥσπερ βοῶσι καὶ διαμαρτύρονται μὴ πιστεύειν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὸ λεληθὸς σκοπεῖν καὶ διερευνᾶσθαι. τοσούτῳ δ' ἐστὶ κρεῖττον ἐν τούτοις τοῦ σεμνοῦ τὸ ἀπεμφαῖνον, ὅσῳ διὰ μὲν ἐκείνου καλοὺς λίαν καὶ μεγάλους καὶ ἀγαθούς, ἀνθρώπους δὲ ὅμως τοὺς θεοὺς κίνδυνος νομίσαι, διὰ δὲ τῶν ἀπεμφαινόντων ὑπεριδόντας τῶν ἐν τῷ φανερῷ λεγομένων ἐπὶ τὴν ἐξῃρημένην αὐτῶν οὐσίαν καὶ ὑπερέχουσαν πάντα τὰ ὄντα καθαρὰν νόησιν ἐλπὶς ἀναδραμεῖν.)

Non poenitebit legisse quæ eadem de re in libris contra christianos scripsit a Cyrillo allata (c. Chr. 44 A, p. 167, 1). Reprehenditis, inquit, fabulas insanas græcorum Saturnum liberos vorasse narrantium, tum evomuisse; Jovi et matrem ipsius nupsisse et postea filiam; alia ejusdem generis. Quibus similia esse mihi videntur quæ Moses narrat Deum Adamo nuper creato conjugem dedisse, ut auxilio ei esset, velut nescientem illam eum perdituram, et cetera, quæ in eadem leguntur narratione. Hæc impietatis plena esse concedendum est, nisi creditis, quod mihi quidem persuasum est, Mosen doctrinam aliquam salubriorem et numine digniorem sub illis fabulis condidisse. Quod si illa fabulosa ita accipienda putatis, quo jure græcos eadem ratione fabulis uti vetatis?

Quod ad poetas antiquissimos pertinet, quorum enuntiata apud quosdam maximam et tantum non divinam habebant auctoritatem, satis multa ostendunt, quantum tribuerit Julianus Homero et Hesiodo. Nec tamen usquam dixit sibi dei alicujus esse præcepta videri, quæ in carminibus eorum legerentur. Affert itaque 431 A, p. 554, 15 versus ex Odyssea tres, qui beneficia erga hospites suadent, sed non eo consilio affert, ut ea re doceat benefia illa inter officia habenda esse, sed ut appareat, majores quoque ita sensisse nec novæ illud humanitatis esse documentum a christianis primis adhibitæ. Item in oratione quarta de numine Solis agens Homerum laudat et Hesiodum, non ut se vera

dicere probet, sed ut non nova. Sed melius erit ipsius verba attulisse (136 B, p. 176, 10): *ὅτι δὲ οὐδὲ νεαρὰ παντελῶς ἐστιν ἡ δόξα, προύλαβον δὲ αὐτὴν οἱ πρεσβύτατοι τῶν ποιητῶν, Ὅμηρός τε καὶ Ἡσίοδος, εἴτε καὶ νοοῦντες οὕτως εἴτε καὶ ἐπιπνοίᾳ θείᾳ καθάπερ οἱ μάντεις ἐνθουσιῶντες πρὸς τὴν ἀλήθειαν, ἐνθένδ' ἂν γίγνοιτο γνώριμον.*

Videsne eum in incerto. relinquere, utrum ea, quæ de diis canunt poetæ, habenda sint pro vaticiniis prophetarum a deo incitatorum an pro inventis hominum sapientissimorum. Conferendum quod dicit 149 C, p. 194, 2 locum quendam Iliadis allaturus: *μή ποτε οὖν καὶ θείᾳ μοίρᾳ τοῦτο Ὅμηρος· ἦν γάρ, ὡς εἰκός, θεόληπτος· ἀπεμαντεύσατο πολλαχοῦ τῆς ποιήσεως.* Sed quominus sine ulla dubitatione affirmaret carmina illa divinam habere originem, vel ea res obstabat, quod neque ei probabantur neque interpretando meliora reddere se posse putabat multa, quæ in illis ferebantur. Ut apud Cyrillum contra christianos hoc modo argumentatur (c. Chr. 134 D, p. 181, 10): Fabulosa vobis videntur et irrisione digna, quæ de Aloidis narrat Homerus, ut coelum expugnarent, montes cumulantibus. At nos credere vultis Deum timuisse, ne turrim exstruerent homines Babylone, quæ in coelum usque emineret. Quorum si alterum verum esse creditis, nihil est causæ, cur alterum credere recusetis; mihi quidem utrumque insanum videtur. Et 137 C, p. 177, 25 laudatis aliquot Homeri versibus, quibus Solem summum deum predicari contendit: sed jam, inquit, poetarum carmina omittamus; habent enim una cum divinis etiam multa humana.

Ab hoc de poetis judicio non discrepat quod de philosophorum maximorum sententiis arbitratur. Quamvis enim magnam auctoritatem addiderit placitis Jamblichi et Platonis, nusquam tamen velut deorum præcepta verba eorum veneratur, ut pro argumento adhibeatur illud Pythagoreorum *αὐτὸς ἔφα.* In libris contra christianos 57 B, p. 172, 3 Platonis de opificio mundi doctrinam meliorem esse docet ea, quam in primo libro proposuisset Moses; sed non eo consilio, ut Platonis sententiam ipsis diis auctoribus totam ~~continere~~ veritatem probaret, sed ut non verba Dei esse, quæ scripsisset Moses, ostenderet. Itaque, quamvis ipse amplectatur Julianus illa Platonis et vera esse credat, tamen non postulat, ut omnes idem credant, velut impium sit dubitare. Quod ideo moneo, quia constat non defuisse temporibus illis qui tantam tribuerent Platoni auctoritatem, ut nefas ducerent, quidquid ille scripsisset, quamvis leviter mutare; id quod ex hoc in secunda ad Constantium oratione loco apparet 68 D, p. 87, 23. Ubi quum laudasset enuntiatum quoddam philosophi

illius uno verbo mutato, statim talia addidit: "Sed forsitan vetet quispiam unum Platonis verbum mutari, quum sint ejus enuntiata velut sacra vetera servanda". Paulo infra 69 C, p. 88, 20 suum de Platonis scriptis judicium proposuit, quum diceret ea et jucundissima esse et ad animum educandum et emendandum maxime idonea. Neque alias extra sanas et modicas laudes progressus est.

Aristoteli vero, quamvis multum ei tribuerit, quin Platonem anteponat, non potest dubitari. Satis erit pro documento unum locum attulisse ex oratione quinta 162 C, p. 210, 27, ubi dicit Aristotelem ita sibi probari, si cum Platone consentiat, Platonem autem si cum oraculis deorum.

Ex ceteris philosophis unum Platonis æqualem esse prædicat suæ ætatis hominem philosophum Chalcidensem Iamblichum, quem et divinum appellat et ad finem perrexisse humanæ sapientiæ dicit (157 C, p. 204, 11) eumque se rerum divinarum scientia initiasse confitetur (146 A, p. 189, 17). Sed ne ejus quidem verbis divinam auctoritatem umquam vindicare conatus est.

Multos enumeravi fontes, unde rerum divinarum cognitionem hauriri posse putaret Julianus, alios ratus divinitus fluere neque in dubitationem vocari posse, quæ ex iis sumuntur, alios velut mixtos esse ex sapientia divina et humana. Extremo loco, ne quid prætermittam, commemorandum est eum credidisse deos piis hominum mentibus sui scientiam invocatos impertire. Quo factum est, ut haud raro precationes insereret ad hoc exemplum: *αὐτὸς ἡμῖν ὁ βασιλεὺς εἰπεῖν Ἥλιος δοίη.* Cfr. 138 C, p. 179, 17; 141 D, p. 183, 19 al.

Jam videndum, quam ex his fontibus de rebus divinis doctrinam hauserit Julianus et primum quidem quid de summo numine et omnium deorum principe crediderit. Quum, ut dicit ipse in epistola ad Alexandrinos missa 434 D, p. 558, 15, ad vicesimum ætatis annum legem secutus esset christianam (*οὐχ ἁμαρτήσεσθε γὰρ τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ πειθόμενοι τῷ πορευθέντι κἀκείνην τὴν ὁδὸν ἄχρις ἐτῶν εἴκοσι καὶ ταύτην ἤδη σὺν θεοῖς πορευομένῳ δωδέκατον ἔτος*) miraculo proximum esset si, animo in alteram partem converso, humiliorem summi dei notionem probavisset, aut si, quum unum esse summum deum aliquando confessus esset, mox multos esse prædicasset unitatis notione sublata. Sed multo magis apparet Julianum, quum veterem eligeret divinitatem colendi viam, sibi visum esse doctrinam amplecti et altiorem et numine tanto digniorem, quam esset doctrina christianorum. Itaque non recessit ab illa sententia unum esse super omnia immenso spatio elatum numen, ex quo penderent omnia et cujus voluntate essent provecta. Quin etiam tam alte super hunc mundum eum locavit, ut vix quidquam de eo prædicare auderet, quum

natura ejus neque ab hominibus intelligi posset, neque ullo hominum sermone exprimi.

Hinc efficitur, ut admodum raro in scriptis Juliani numen illud nominetur. Præter quartam orationem semel aut summum bis de eo locutus est; in illa autem oratione, ut eum significet, modo hac modo illa voce utitur, velut nulla satis idonea sit. Itaque, quia extrema omnium rerum causa est, appellat eum "omnium regem, circum quem omnia sunt" (*ὁ πάντων βασιλεύς, περὶ ὃν πάντα ἐστίν* 132 C, p. 171, 10). Sed tantum abest, ut illam appellationem ab omni parte convenientem putet, ut sæpius eodem nomine deum Solem demonstret. (*τὸν βασιλέα τῶν ὅλων Ἥλιον* 146 A, p. 189, 12 al.) Similia sunt, quæ adduntur summo illi numini nomina 132 D, p. 171, 15 *ἡ μονοειδὴς τῶν ὅλων αἰτία*, ibd. p. 171, 12 *ἰδέα τῶν ὄντων*, 140 A, p. 181, 11 *ὁ τῶν ὅλων δημιουργός*.

Parum liquet, utrum ipsum illud summum numen appellaverit "mentem puram" (*αὐτὸν τὸν καθαρὸν νοῦν* 134 A, p. 173, 16), an secundam quandam causam genetricem ita significaverit, quod magis crediderim equidem. Neque aliter judico de verbis *γόνιμος καὶ δημιουργικὸς νοῦς* 161 C, p. 209, 20. Nam ne illa quidem vox *νοῦς* satis est aliena ab omni materiæ humilitate, ut deum summum recte demonstret, cujus natura supra intelligendi vim est; quem appellavit Julianus *τὸ ἐπέκεινα τοῦ νοῦ* 132 C, p. 171, 11 vel *ὁ πάντων ἐπέκεινα, περὶ ὃν πάντα καὶ οὗ ἕνεκα πάντα ἐστίν* 136 D, p. 176 24.

Sed quia unum, *τὸ ἕν*, principium omnium rerum quodammodo vocari potest, eo nomine usus est, ut summum numen significaret 132 D, p. 171, 13. Et Platonem secutus, qui summam ideam Bonum appellavit, *τὸ ἀγαθὸν* illud dixit, ut 133 A, p. 172, 6 *τὸ πρῶτον καὶ μέγιστον τῆς ἰδέας τἀγαθόν*, 139 A, p. 179, 26 (*θεοί,*) *οἳ περὶ τἀγαθόν εἰσιν,* alias. Et uno deniquo loco ita descripsit ejus naturam, ut eam diceret substantiam non mixtam puramque, cui nihil externi accederet, in quo nihil inesset alieni, sua ipsius integra puritate repletam. (140 B, p. 181, 23 *ἔτι πρὸς τούτοις εἰ τὴν ἐν τοῖς νοητοῖς ἄχραντον καὶ καθαρὰν ἄυλον οὐσίαν νοήσαιμεν, οὐδενὸς ἔξωθεν αὐτῇ προσιόντος οὐδὲ ἐνυπάρχοντος ἀλλοτρίου, πλήρη δὲ τῆς οἰκείας ἀχράντου καθαρότητος.*)

Sed quo magis studebant homines notionem dei effingere supra humilitatem nostram, quantum fieri posset, elatam, adeo ut et cogitationem et sensum humanum effugeret, tanto magis opus esse sentiebant medio aliquo numine, ut commercium aliquod cum immortalitate haberemus. Majore inter-

vallo distabant *τὸ ἐπέκεινα τοῦ νοῦ* et hic, in quo vivimus, mundus, quam ut nullo medio intercedente inter se contingere possent. Inde factum est ut, diis quibusdam inferioribus creditis, ad hos potius quam ad illum summum tenderent cogitationes hominum auxilium in miseriis petentium, aut in prosperis rebus grates habentium, aut denique quoties vanitatis hujus erat pertæsum et motum erat in animis veritatis desiderium.

Quoniam eo ventum est, ut sit ostendendum, quomodo ex summi et unius dei substantia originem duxisse ceteros deos et totum hunc mundum arbitratus sit Julianus, potissimum duxi ipsius quam proxime sequentem vestigia rem explicare. Ille autem de hac re alias aliter disputavit, non ita ut contra se ipse diceret, sed diversas ingressus est vias idem demonstrare studens. Itaque mihi quoque libuit non uno modo summam doctrinæ illius proponere, sed potius eos locos enarrare, quibus demonstrasset auctor, quid de ea re sentiret. Ita enim id vitari posse, quod vel maxime cavendum putavi, ne quidquam Juliano tribuerem, quod non dixisset.

Et in libris quidem contra christianos scriptis explicavit Platonis de mundi et deorum creatione doctrinam, velut meliorem quam eam, quæ per Mosen jussu Dei litteris mandata a christianis laudabatur. Quæ doctrina, quamvis non contendat eam divinam esse et unice veram, tantam habet similitudinem cum iis, quæ aliis locis de eadem re proposuit Julianus, ut sit prope pro ipsius sententia habenda.

Deus, inquit, unus et summus, quum totius mundi figuram æternam et indelebilem creavit, tum alios creavit deos rerum gubernatores et mortalium generum creatores. Deus enim ille quidquid creavit æterna donavit vita et natura, non ita quidem ut dissolvi nequeat; omne enim creatum interire posse necesse est; sed ita ut numquam dissolvatur. Nam quod summum Bonum semel fecit, numquam volet non fecisse. Itaque semper erunt et mundi figura et dei generati.

Quid igitur? Deos appellat Plato et solem et lunam et stellas et coelum, hæc quæ oculis cernuntur? Vult enim eas imagines esse deorum intellectualium, qui non cernuntur. Sol itaque, quem videmus, imago est intellectualis cujusdam et invisibilis dei; itemque luna, quam conspiciunt oculi nostri, et stellarum unaquæque imagines sunt intellectualium. (c. Chr. 65 B, 174, 10 *ὁ φαινόμενος τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν ἥλιος τοῦ νοητοῦ καὶ μὴ φαινομένου. καὶ πάλιν ἡ φαινομένη τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν σελήνη καὶ τῶν ἄστρων εἰκόνες εἰσὶ τῶν νοητῶν.*)

Hic Julianus, ut ostendat se non sua Platoni subjicere sed ipsius explicare rationem, verba ea, quibus apud Platonem deos a se generatos alloquitur summum Bonum, "θεοὶ θεῶν" ita interpretatus est, ut si dicat "dii invisibiles deorum visibilium" (l. c. p. 174, 16 εἰκότως οὖν φησιν ὁ δημιουργὸς ὁ παρ' αὐτῷ "θεοί", πρὸς τοὺς ἀφανεῖς λέγων, "θεῶν" τῶν ἐμφανῶν δηλονότι. Cognovit itaque Plato deos illos intellectuales et invisibiles, qui et in creatore et una cum eo sunt et ex eo geniti sunt et prodierunt. (l c. p. 174, 14 τοὺς νοητοὺς καὶ ἀφανεῖς θεοὺς ἐνυπάρχοντας καὶ συνυπάρχοντας καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦ δημιουργοῦ γεννηθέντας καὶ προελθόντας.)

Hæc itaque Platonis est sententia de diis creatis vel genitis, qualem eam exposuit Julianus. Neque hoc loco quærendum est, num recte interpretatus sit illa verba θεοὶ θεῶν, quum non id agatur, ut Platonis sed ut Juliani rationes investigentur. Ex iis autem, quæ sequentur, apparebit Julianum vix quidquam a summo illo philosopho hac in re decedere.

Quum igitur ostendere conabor, quid ipse de ortu deorum et mundi docuerit Julianus, redeundum est ad orationes IV et V, in quibus haud pauca inveniuntur, quæ ad eam rem illustrandam idonea sint. Sed seorsum tractandæ videntur, ut priorem prius inspiciamus, quum eadem de re aliis verbis in hac aliis in illa locutus sit.

Fieri vix potest, ut mihi quidem videtur, quin multa in tali expositione dubia videantur, nec satis manifesta. Neque enim id egit scriptor, ut omnem de his rebus doctrinam in lucem proferret et ante oculos hominum poneret. Satis duxit tam multa afferre, ut veritatem magis suspicarentur quam manifestam viderent legentes, quum nefas esset recondita doctrinæ, initiatis nota, vulgare. Neque tamen poenitebit ea cognovisse, quæ vulganda putavit, quum vel inde de universa doctrina aliquod judicium facere liceat.

Deus itaque summus et unus, is qui supra omnem cogitationem est, ex omni æternitate genuit vel procreavit mundum intellectualem (κόσμον νοητόν). Necessitate quadam et inopia vel sermonis vel intellectus humani coacti ita loquimur, quamquam longe a vero aberramus, si divinitatem ea creatione aut auctam aut imminutam cogitamus Multiplicata est divina substantia nihil patiens et sine additamento; ut dicit 139 A, p. 179, 26 ὥσπερ πολυπλασιαζομένης ἀπαθῶς καὶ ἄνευ προσθήκης τῆς νοητῆς καὶ θείας οὐσίας. Itaque summum illud numen non solum sub unius sed etiam sub multorum deorum specie cogitatur; et multi illi unus sunt, et unus multi est salva unitate. Illud enim sæpe monuit, ne unitatem Dei oblivisceremur. Ut 139 B, p. 180, 10 ἓν παντελῶς τὸ

νοητὸν ἀεὶ προϋπάρχον et 141 D, p. 183, 22 *ἐξ ἑνὸς προῆλθε τοῦ θεοῦ εἷς ἀφ᾽ ἑνὸς τοῦ νοητοῦ κόσμου βασιλεὺς Ἥλιος*. Quæ res non impedit, quominus distinguatur inter summum deum et ceteros intellectuales velut inferiores, quum dicatur his ille dare pulchritudinem, substantiam, perfectionem, unitatem (133 B, p. 172, 11 *ἔστι δ᾽ αἴτιον, οἶμαι, τἀγαθὸν τοῖς νοητοῖς θεοῖς κάλλους, οὐσίας, τελειότητος, ἑνώσεως*); aut 132 C, p. 171, 9 ubi velut in suo uterque gradu ponuntur deus summus et mundus intellectualis. (*βαθμῷ δὲ ὥσπερ δευτέρῳ ὑπὸ τοῦ νοητοῦ κόσμου (φρουρεῖται ὁ κόσμος) πρεσβυτέρως δὲ ἔτι διὰ τὸν πάντων βασιλέα, περὶ ὃν πάντα ἐστίν*.)

Tum vero quod dicitur mundus intellectualis ex omni æternitate provenisse, illud sine ulla temporis significatione accipiendum est. Neque enim umquam fuit, quum non provenisset, et semper provenit provenietque. Qua de re legendus hic locus 145 A, p. 188, 5 *τῆς γὰρ ἐν τῇ φύσει φαινομένης οὐσίας γονίμου γεννᾶν ἐφιεμένης ἐν τῷ καλῷ καὶ ὑπεκτίθεσθαι τὸν τόκον, ἔτι ἀνάγκη προηγεῖσθαι τὴν ἐν τῷ νοητῷ κάλλει τοῦτο αὐτὸ διαιωνίως καὶ ἀεὶ ποιοῦσαν, ἀλλ᾽ οὐχὶ νῦν μὲν εἰσαῦθις δὲ οὔ, καὶ ποτὲ μὲν γεννῶσαν, αὖθις δὲ ἄγονον.*

Quum velut per gradus descendatur ab illo, quod supra omnem cogitationem est, ad hunc visibilem mundum, diis intellectualibus inferiores ponuntur dii spirituales (*κόσμος νοερός*), quibus permissum est hujus mundi regimen. Hoc loco recordari debemus dialogum illum Platonis, qui Phædrus inscribitur, ut sententiam Juliani magis perspiciamus. Fingit enim ille deos eos, qui vulgo appellabantur Juppiter Mars Apollo ceterisque nominibus celeberrimis, per coeli spatium volantes omnia gubernare; tum supra sphæram coelestem emergentes ideas illas veras spectare, quarum summam esse Bonum, inde derivantes vitam æternam. Apparet Julianum eandem fere proponere doctrinam, quum *κόσμον νοητόν* appellet ideas illas, deos autem populares *κόσμον νοερόν*. Itaque, quum de diis spiritualibus loquitur, nomina illa usurpatur sæpissime.

Sed mundus hic spiritualis imago quædam est mundi intellectualis, et ne in hoc quidem multitudo numinum tollit unitatem; nam hic quoque multi illi unum efficiunt. Et sicut in unitate mundi intellectualis principem tamen locum tenet Bonum, ita Sol princeps est et rex inter spirituales.

Solem autem deum dicens nondum significat orbem in coelo lucentem, sed numen invisibile, cujus imago est ille orbis. Neque enim oculis mortalium conspici posse deos spirituales. (135 A, p. 174, 19 *τὰ ὑπὲρ τὸν οὐρανὸν ἀφανῆ καὶ θεῖα νοερῶν θεῶν γένη*.) Illum autem deum Solem, regem spiritualium

omnia sui similem genuit summus deus. Summæ boni ideæ filius ab æterno tempore apud patrem versatur et regnum accepit in spirituales. Cfr 132 D, p. 171, 15 *ἡ μονοειδὴς τῶν ὅλων αἰτία κατὰ τὴν ἐν αὐτῇ μένουσαν πρωτουργὸν οὐσίαν μέσον ἐκ μέσων τῶν νοερῶν καὶ δημιουργικῶν αἰτιῶν Ἥλιον θεὸν μέγιστον ἀνέφηνεν ἐξ ἑαυτοῦ πάντα ὅμοιον ἑαυτῷ· καθάπερ καὶ ὁ δαιμόνιος οἴεται Πλάτων. "Τοῦτον τοίνυν, λέγων, ἦν δ' ἐγώ, φάναι με λέγειν τὸν τοῦ ἀγαθοῦ ἔκγονον, ὃν τἀγαθὸν ἐγέννησεν ἀνάλογον ἑαυτῷ"*. Et infra: *αὐτὸς δὲ ὁ ξύμπας, ἅτε δὴ τοῦ πρώτου καὶ μεγίστου τῆς ἰδέας τἀγαθοῦ γεγονὼς ἔκγονος, ὑποστὰς αὐτοῦ περὶ τὴν μόνιμον οὐσίαν ἐξ ἀιδίου καὶ τὴν ἐν τοῖς νοεροῖς θεοῖς παρεδέξατο δυναστείαν.*

Sed quamquam rex est et princeps spiritualium Sol, tamen qui juxta eum in mundo spirituali dei sunt, una cum eo prodierunt et cum eo unum efficiunt. Quod et multis locis docuit et hoc: (143 B, p. 185, 19) *εἰσὶ γάρ τοι θεοὶ συγγενεῖς Ἡλίῳ καὶ συμφυεῖς, τὴν ἄχραντον οὐσίαν τοῦ θεοῦ κορυφούμενοι, πληθυνόμενοι μὲν ἐν τῷ κόσμῳ, περὶ αὐτὸν δὲ ἑνοειδῶς ὄντες.* Et alias: (156 D, p. 203, 13) *τοσούτων θεῶν περὶ αὐτὸν (Ἥλιον) ἀμερίστως πληθυνομένων καὶ ἑνοειδῶς αὐτῷ συνημμένων.* Et rursus: 133 B, p. 172, 14) *ταῦτα δὴ καὶ τοῖς νοεροῖς Ἥλιος δίδωσιν, ἄρχειν καὶ βασιλεύειν αὐτῶν ὑπὸ τἀγαθοῦ τεταγμένος, εἰ καὶ συμπροῆλθον αὐτῷ καὶ συνυπέστησαν.*

Unitatem denique ex multitudine numinum spiritualium qui efficit idem ille est Sol. (*ὅλην τὴν νοερὰν οὐσίαν, τὰς ἀκρότητας αὐτῆς εἰς ἓν καὶ ταὐτὸ συνάγων, ἀποφαίνει μίαν.* 143 C, p. 186, 5.)

Jam præter Solem in numero deorum spiritualium pleraque affert auctor nomina notissima Jovem, Apollinem, Mercurium, Venerem, Plutonem, Bacchum, Martem, Minervam. De quibus ita locutus est, ut et suam cuique naturam et provinciam tribuat, et unumquemque re vera eundem esse ac Solem demonstret, ut non minus pro uno quam pro multis habendi sint. Quæ in hanc sententiam disputavit omnia afferre et longum est nec necessarium. Satis erit nonnulla exempli causa proposuisse.

Plutoni nomen datur illi deo, qui animos eorum, qui bene vixerunt, sursum ad se recipit. Non enim de eo cogitandum, quem fabulæ suadent horrere, sed de spirituali et mitissimo deo, qui omnino liberat animos nascendi necessitate, neque solutos in aliis abdit corporibus, ut poenas dent, sed ad mundum intellectualem eos ducit et dirigit. (136 A, p. 176, 1 *καλοῦμεν δὲ τὸν αὐτὸν τοῦτον (Ἅιδην) καὶ Σάραπιν, τὸν ἀιδῆ δηλονότι καὶ νοερόν, πρὸς ὅν φησιν (Πλάτων) ἄνω πορεύεσθαι τὰς ψυχὰς τῶν ἄριστα βιωσάντων καὶ δι-*

καιότατα. μὴ γὰρ δή τις ὑπολάβῃ τοῦτον, ὃν οἱ μῦθοι πείθουσι φρίττειν, ἀλλὰ τὸν πρᾶον καὶ μείλιχον, ὃς ἀπολύει παντελῶς τῆς γενέσεως τὰς ψυχάς, οὐχὶ δὲ λυθείσας αὐτὰς σώμασιν ἑτέροις προσηλοῖ κολάζων καὶ πραττόμενος δίκας, ἀλλὰ πορεύων ἄνω καὶ ἀνατείνων τὰς ψυχὰς ἐπὶ τὸν νοητὸν κόσμον.) Sed hoc idem beneficium Sol deus animis tribuit, corporibus eos liberans et ad divinam naturam reducens. (152 A, p. 197, 13 — *ὅσα ταῖς ψυχαῖς δίδωσιν (Ἥλιος) ἀπολύων αὐτὰς τοῦ σώματος, εἶτα ἐπανάγων ἐπὶ τὰς τοῦ θεοῦ συγγενεῖς οὐσίας* —). Itaque idem esse numen praedicatur Sol et Pluto, et confirmatur haec sententia allato oraculi versu Apollinis: (135 D, p. 175, 22) *φησὶ γὰρ ὁ θεὸς οὗτος:*

Εἷς Ζεύς, εἷς Ἀίδης, εἷς Ἥλιός ἐστι Σάραπις.

Simili modo de Veneris numine disputavit. Quae illa est dea? Consociatio est deorum coelestium et harmoniae eorum amicitia et unitas. (150 B, p. 194, 26. *ἔστι δὴ οὖν αὕτη σύγκρασις τῶν οὐρανίων θεῶν καὶ τῆς ἁρμονίας αὐτῶν ἔτι φιλία καὶ ἕνωσις.*) Tum vim eadem genitalem in hunc mundum demittit. (l. c. p. 195, 4 *ἐνδίδωσι δὲ τὸ γόνιμον τῇ γῇ.*) Sed non minus Sol dicitur ita medius esse deorum, ut harmoniam efficiat et unitatem. (Cfr locum supra citatum 143 C, p. 186, 5 et 138 C, p. 179, 17 *μεσότητα μὲν δὴ φαμεν — ὁποίαν τινά φησιν Ἐμπεδοκλῆς τὴν ἁρμονίαν.*) Illa autem vis vel propria est Solis, ut vitam demittat in terram. (cfr. 137 D, p. 178, 13 *αὐτὸς ἀεὶ ζωοποιεῖ κινῶν καὶ ἐποχετεύων αὐτῇ (τῇ σώματος φύσει) τὴν ζωήν.*) Unde apparet non aliud esse Veneris numen ac Solis. Pars aliqua dici potest, modo ne divisum cogitemus quod unum est numen. Multos enim deos circum se habet Sol in mundo spirituali, sed salva unitate. (151 A, p. 196, 1 *ἐν τοῖς νοεροῖς ἔχειν ἔφαμεν τὴν ἡγεμονίαν Ἥλιον, πολὺ περὶ τὴν ἀμέριστον οὐσίαν ἑαυτοῦ πλῆθος ἑνοειδῶς ἔχοντα τῶν θεῶν.*) Quamquam simul cavendum, ne ita confundantur numina, ut omne tollatur discrimen. Minerva enim, quae est Solis perfecta mens, deos in unum conjungit ita, ut nec confundantur et unum efficiant. (149 C, p. 194, 8 *τὴν Ἀθηνᾶν νομιστέον οὖσαν αὐτοῦ τελείαν νόησιν συνάπτειν τοὺς περὶ τὸν Ἥλιον θεοὺς τῷ βασιλεῖ τῶν ὅλων Ἡλίῳ δίχα συγχύσεως εἰς ἕνωσιν.*)

Solis autem et ceterorum deorum spiritualium imagines sunt orbes illi lucidi, qui in convexo coeli conspiciuntur et ipsi deorum appellatione honorandi. (cfr. 135 D, p. 175, 14 *τῶν ἄλλων ἐμφανῶν θεῶν*, et 138 D, p. 179, 24 *τῶν ἐμφανῶν καὶ περικοσμίων θεῶν.*) Specie enim illa assumpta naturam suam hominibus ostenderunt dii spirituales. Itaque idem ordo in stellarum

circa solem dispositione cernitur, qui in mundo spirituali est, ubi medius regnat Sol, in unum omnia numina cogens; et licet ex hoc quem videmus ordine cognoscere, qualia sint illa, quæ non cernuntur. (Cfr. 135 B, p. 175, 3 *πῶς οὖν οὐκ εἰκότως καὶ τὴν πρεσβυτέραν τῶν σωμάτων ἐν τοῖς νοεροῖς θεοῖς διακόσμησιν ὑπολαμβάνομεν ἀνάλογον (ἀναλογίαν?) ἔχειν τῇ τοιαύτῃ τάξει;*) Jam fugit neminem, quantam vim habeant et sol et stellæ ad res humanas gubernandas. Qua re fit, ut iis contemplandis ad cognoscendam invisibilium deorum potestatem adducamur.

Quum igitur velut tria genera deorum constituerit auctor præter summum deum, intellectualium, spiritualium, visibilium, hic quoque monendum putat idem, quod in singulis generibus fecit. Unitatem enim iterum iterumque significavit, quæ in intellectuali mundo est, tum in spiritualibus, nec non in visibilibus. Jam vero hæc tria genera inter se eandem unitatem conjungere docet, ne obliviscamur unum esse totum numen divinum. Nam inter intellectualem mundum et deos, qui in coelo oculis cernuntur, medium tenet locum Sol in mundo spirituali in unum connectens extremitates. Medius enim dicitur Sol esse, non ita ut exempli gratia medium est tepere inter calere et frigere, æquo intervallo ab utroque distans; sed ita medius, ut in unum conferat et ex multis unum efficiat sicut in sonis harmonia. (Cfr. 138 C, p. 179, 17 *μεσότητα μὲν δή φαμεν οὐ τὴν ἐν τοῖς ἐναντίοις θεωρουμένην ἴσον ἀφεστῶσαν τῶν ἄκρων, οἷον ἐπὶ χρωμάτων τὸ ξανθὸν ἢ φαιόν, ἐπὶ δὲ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ τὸ χλιαρόν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἀλλὰ τὴν ἑνωτικὴν καὶ συνάγουσαν τὰ διεστῶτα, ὁποίαν τινά φησιν Ἐμπεδοκλῆς τὴν ἁρμονίαν ἐξορίζων αὐτῆς παντελῶς τὸ νεῖκος.*

Numen autem divinum, quod visibilem induit corporum coelestium naturam, ut ab hominibus cognoscatur, in societatem nobiscum etiam propiorem descendit, quum ipsum naturam induit humanam. Sicut enim summus deus genuit omnia sui similem Solem in mundo spirituali, ita in hoc nostro mundo Sol filium genuit Aesculapium, quem eundem apud se ante mundum habuit. (144 B, p. 187, 7 *γεννᾷ μὲν ἐν κόσμῳ τὸν Ἀσκληπιόν, ἔχει δὲ αὐτὸν καὶ πρὸ τοῦ κόσμου παρ᾽ ἑαυτῷ.*) Et de hoc quidem deo plura infra dicentur. Jam ad orationem quintam, quæ de Magna Matre est scripta, animum attendamus, et qua ratione in ea de diis locutus sit, videamus.

Ad ea autem recte intelligenda, quæ in illa oratione continentur, non parvum adjumentum habemus priorem de Sole orationem. Itaque ut illic dicitur summum et unum numen, illud Bonum, filium apud se ab omni æternitate

habuisse, ita in hac oratione mater deorum et post summum opificem et una cum eo esse dicitur. Quae quum in se omnis vitae et omnis generationis causam continere perhibeatur, vis dei creatrix appellari posse supra dictă est (p. 19). Per eam genitus est mundus spiritualis, cujus est princeps Juppiter vel Sol. Itaque Jovis mater est sicut ceterorum deorum spiritualium et opificum, qui visibiles illos orbes gubernant. Eadem una cum Jove regnum tenet omnium, quae creata sunt, ut recte dicatur et mater et conjux Jovis. (166 A, p. 215, 5. *τίς οὖν ἡ Μήτηϱ τῶν θεῶν; ἡ τῶν κυβεϱνώντων τοὺς ἐμφανεῖς νοεϱῶν καὶ δημιουϱγικῶν θεῶν πηγή. ἡ καὶ τεκοῦσα καὶ συνοικοῦσα τῷ μεγάλῳ lὶ θεὸς ὑποστᾶσα μεγάλη μετὰ τὸν μέγαν καὶ σὺν τῷ μεγάλῳ δημιουϱγῷ. ἡ πάσης μὲν κυϱία ζωῆς, πάσης δὲ γενέσεως αἰτία.*)

Sed illa vis creatrix non substitit in mundo immutabili et divino, cujus est terminus via lactea. Descendit enim etiam infra in mundum mutabilem et materiae plenum. Itaque si cogitando segregamus, quod ex illa vi creatrice ad materiam usque pertinet, ab illo, quod ab omni materia immaculatum apud deos multo praestantius et majus est, illud Attidis nomine significandum. Non enim consentaneum est ex ipso summo numine prodire formas mutabiles rerum infimarum. Plures itaque cogitandi sunt creatores velut dignitatis gradibus distantes. (161 D, p. 209, 23. *οὐ γὰϱ δὴ πάντων ἐν πᾶσι τὰ εἴδη. οὐδὲ ἐν τοῖς ἀνωτάτω καὶ πϱώτοις αἰτίοις τὰ τῶν ἐσχάτων καὶ τελευταίων. μεθ' ἃ οὐδέν ἐστιν ἢ τὸ τῆς στεϱήσεως ὄνομα μετὰ ἀμυδϱᾶς ἐπινοίας.*)

Jam non opus esse puto iterum ostendere, quid re vera illa de Attide fabula significetur, quum ea res satis sit supra exposita. Sed animadvertenda nonnulla, quae ad unitatem deorum demonstrandam pertinent; quamquam de ea quidem re non disertis verbis in hac oratione loquitur, quod in priore fecit. Ostendit autem multis locis plerosque esse deos opifices (ut 166 A, p. 215, 5 *ἡ τῶν κυβεϱνώντων τοὺς ἐμφανεῖς νοεϱῶν καὶ δημιουϱγικῶν θεῶν πηγή* et 161 D, p. 209, 27 *οὐσῶν δὴ πολλῶν οὐσιῶν καὶ πολλῶν πάνυ δημιουϱγῶν*. Quibus verbis significari *κοσμὸν νοητόν* non latet. Sicut vero in priore oratione totum mundum spiritualem unum efficere ostendit, ita in hac eundem nominat tertium opificem (*τὸν τϱίτον δημιουϱγόν*). Primus nimirum opifex summum numen est; secundus mundus intellectualis sive Magna Mater, quippe quae omnes causas inde acceperit; (166 B, p. 215, 11 *τῶν γὰϱ νοητῶν ὑπεϱκοσμίων θεῶν δεξαμένη πάντων αἰτίας ἐν ἑαυτῇ πηγὴ τοῖς νοεϱοῖς ἐγένετο*); tertius est mundus spiritualis. Cujus est pars deus Attis, ea scilicet quae usque ad materiam vi creatrice pertinet.

Ita mihi accipienda videntur, quæ de tertio creatore dicuntur et de Attide velut ei subjecto. E quibus unum afferam locum, qui præter ceteros dignus videtur, ad quem animum advertamus. Leguntur hæc 165 A, p. 213, 26 *οὐκοῦν ἐπειδὴ δέδοταί τις καὶ τῶν ἐνύλων εἰδῶν αἰτία προηγουμένη παντελῶς ἄυλος ὑπὸ τὸν τρίτον δημιουργόν, ὃς ἡμῖν οὐ τούτων μόνον ἐστίν, ἀλλὰ καὶ τοῦ φαινομένου καὶ πέμπτου σώματος πατὴρ καὶ δεσπότης· ἀποδιελόντες ἐκεῖνον τὸν Ἄττιν, τὴν ἄχρι τῆς ὕλης καταβαίνουσαν αἰτίαν, καὶ θεὸν γόνιμον Ἄττιν εἶναι καὶ Γάλλον πεπιστεύκαμεν.*

Tum vero ad unitatem deorum demonstrandam ea pertinent, quibus et Minervam et Bacchum deos esse dicit cum magna matre conjunctissimos et idem atque illam efficientes, quum sit Minerva sicut mater deorum providentia numinis omnes res gubernans, Baccho autem id munus a patre datum sit, ut vitam ab eo acceptam in singulos distribuat, ut sit et ipse sicut magna mater vis numinis creatrix. (179 A, p. 231, 15 *ὁρῶ μὲν τῆς Ἀθηνᾶς πρὸς τὴν Μητέρα τῶν θεῶν διὰ τῆς προνοητικῆς ἐν ἑκατέραις ταῖς οὐσίαις ὁμοιότητος τὴν συγγένειαν. ἐπισκοπῶ δὲ καὶ τὸν Διονύσου μεριστὴν δημιουργίαν, ἣν ἐκ τῆς ἑνοειδοῦς καὶ μονίμου ζωῆς τοῦ μεγάλου Διὸς ὁ μέγας Διόνυσος παραδεξάμενος, ἅτε καὶ προελθὼν ἐξ ἐκείνου, τοῖς φαινομένοις ἅπασιν ἐγκατένειμεν, ἐπιτροπεύων καὶ βασιλεύων τῆς μεριστῆς συμπάσης δημιουργίας.*)

Tum monet Hermaphroditum eundem esse atque Attidem.

In fine orationis hujus precatio legitur Juliani ad matrem deorum facta, cujus formulam satis convenire affirmaverim cum iis, quæ hic exposita sunt cum de ordine in mundo deorum constituto tum de ipsa dea. Talem in modum orsus est: (179 D, p. 232, 13) *Ὦ θεῶν καὶ ἀνθρώπων μῆτερ, ὦ τοῦ μεγάλου σύνθωκε καὶ σύνθρονε Διός, ὦ πηγὴ τῶν νοερῶν θεῶν, ὦ τῶν νοητῶν ταῖς ἀχράντοις οὐσίαις συνδραμοῦσα καὶ τὴν κοινὴν ἐκ πάντων αἰτίαν παραδεξαμένη καὶ τοῖς νοεροῖς ἐνδιδοῦσα ζωογόνε θεὰ καὶ μῆτις καὶ πρόνοια.*

Et jam satis explicasse mihi videor, quæ in orationibus quarta et quinta docuisset Julianus de natura divina una et multiplicata, quomodo ex uno deo plures exstitisse cogitandum esse, qualem inter deos ordinem, quos gradus constitutos esse dixisset, quatenus multi ei visi essent dei, quatenus solum numen. Sequitur ut reliquis ex scriptis ejus ii afferantur loci, quibus de natura divini numinis aliquid proposuerit. Qua in re cogites velim Julianum, quoties deum singulariter appellet, non semper summum illud numen dicere, sed plerumque totum deorum coetum, quum omnes deos etiam pro uno habeat. Quam ob rem supersedi eos locos, ubi de uno loquitur deo, segregare ab illis, ubi plurali numero deos appellat.

Primum omnium cavendum putat, ne in deorum natura mali quidquam inesse credamus, invidos inter se aut inimicos fingentes aut in homines iracundos. Qualia stulte cecinisse et poetas multos græcorum et latinorum et prophetas judæorum. Cfr. 300 D, p. 385, 23 in fragmento illo epistolæ sæpius laudato: *προσεκτέον μὲν γὰρ οὔτε πᾶσιν οὔτε τοῖς πάντων δόγμασιν ἀλλὰ ἐκείνοις μόνον καὶ ἐκείνων, ὅσα εὐσεβείας ἐστὶ ποιητικὰ καὶ διδάσκει περὶ θεῶν πρῶτον μὲν ὡς εἰσίν, εἶτα ὡς προνοοῦσι τῶν τῇδε καὶ ὡς ἐργάζονται μὲν οὐδὲ ἓν κακὸν οὔτε ἀνθρώπους οὔτε ἀλλήλους φθονοῦντες καὶ βασκαίνοντες καὶ πολεμοῦντες. ὁποῖα γράφοντες οἱ μὲν παρ' ἡμῖν ποιηταὶ κατεφρονήθησαν. οἱ δὲ τῶν Ἰουδαίων προφῆται διατεταμένως συγκατασκευάζοντες ὑπὸ τῶν ἀθλίων τούτων τῶν προσνειμάντων ἑαυτοὺς τοῖς Γαλιλαίοις θαυμάζονται.*

Vitam autem deorum optimam esse et omni ex parte beatam credamus necesse est. Neque illa beatitudo alia æstimatione metienda quam hominum. Ut enim fortuna nostra non est divitiis metienda aut potestate, sed is beatus habendus, qui cum natura convenienter vivat, ita dii in eo beati habendi, quod nulli alii rei servientes in sua sint potestate et cum natura sua convenienter vivant. (193 D, p. 251, 9 *ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς θεοῖς τοῦτό ἐστιν εὐδαιμονίας ὅρος τὸ ἔχειν αὐτοὺς ὥσπερ πεφύκασι καὶ ἑαυτῶν εἶναι.*)

Qui autem cum natura sua convenienter vivet, is se ipse noscat primum omnium necesse est. Illa itaque in re vel maxime præstant hominibus dei, quod perfectam sui scientiam habent. Et quum in divino numine fons sit omnium rerum et principium, sequitur ut deus se noscens omnia noscat quæcumque sunt et omnium rerum scientia ei jure ascribatur. (184 B, p. 238, 15. *οὐ γὰρ ἐπὶ πλούτῳ χρημάτων τὸ θεῖον μακαρίζομεν οὐδὲ ἐπ' ἄλλῳ τινὶ τῶν νομιζομένων ἀγαθῶν, ἀλλ' ὅπερ Ὅμηρός φησιν "θεοὶ δέ τε πάντα ἴσασι". καὶ μέντοι καὶ περὶ Διὸς "Ἀλλὰ Ζεὺς πρότερος γεγόνει καὶ πλείονα ᾔδει" ἐπιστήμῃ γὰρ ἡμῶν οἱ θεοὶ διαφέρουσιν.* Et infra 185 B, p. 239, 25 *γελοῖον οὖν ἂν εἴη τὸν θεὸν ἑαυτὸν μὴ εἰδέναι· κομιδῇ γὰρ οὐδὲν εἴσεται τῶν ἄλλων. εἴπερ ἑαυτὸν ἀγνοοίη· πάντα γὰρ αὐτός ἐστιν. καὶ εἴπερ ἐν ἑαυτῷ καὶ παρ' ἑαυτῷ ἔχει τῶν ὁπωσοῦν ὄντων τὰς αἰτίας.*

Quærat quispiam, num in natura numinis divini describenda omnino oblitus sit Julianus, quod christianæ etiamtum addictus legi didicisset, amoris plenum esse Deum adeo, ut summus amor jure esset appellandus. Ad quod respondendum Julianum et homines deo cordi esse ab eoque amari plurimis significasse locis, et nonnumquam ita locutum esse, ut amorem in nos velut partem esse diceret dei naturæ. Ut dicit 289 B, p. 372, 14 numen divinum hominum

amans natura esse. (*νομιστέον φύσει φιλάνθρωπον ὂν τὸ θεῖον ἀγαπᾶν τοὺς φιλανθρώπους τῶν ἀνδρῶν.*) Et alio loco 300 B, p. 384, 24: vide dei erga homines amorem. (*θεῷ δὲ τὴν φιλανθρωπίαν τοῦ θεοῦ.*) Sed simul confitendum non sæpissime fieri, ut Dei animum in nos paternum disertis verbis recordetur.

De tribus adhuc generibus aut gradibus numinis divini locuti sumus, de summo Bono, de diis intellectualibus, de spiritualibus. Sed præter hæc numina alia quædam a Juliano nominantur, quæ et ipsa ad coetum deorum pertinere apparet, medium quodammodo locum inter deos et homines occupantia. Meliores aut meliora genera hæc nonnumquam uno nomine appellavit, inter ea singulatim nominans angelos, dæmones, animas particulares, heroes. De quibus numinibus quum pauca docuerit, satis erit breviter significasse, quale quodque genus esse putaverit.

Et angelos quidem vel ipsum nomen docet nuntios esse deorum, ad homines scilicet missos. Quorum imaginem visibilem radios esse solis et lunæ. Erant nempe illa corpora deorum imagines; unde recte vocantur radii ab illis demissi imagines nuntiorum, quos illi ad nos mittunt. Neminem fugit, quam conveniant hæc cum fabulis veterum de Iride nuntia Junonis et ipsa in arcu solis multicolore spectata. *Ἡλιακοὶ ἄγγελοι* commemorantur 141 B, p. 183, 4, 142 A, p. 184, 6. Et in epistola ad athenienses scripta dicit Minervam custodes sibi apposuisse, illud munus tribuentem angelis Solis et Lunæ. (275 B, p. 354, 22 *παρέστησεν ἁπανταχόθεν τοὺς φύλακας, ἐξ Ἡλίου καὶ Σελήνης ἀγγέλους λαβοῦσα.*) Qualia quum loquitur de angelis pios deorum jussu custodientibus, videtur de his numinibus eadem fere ac christianos sentire.

Quam de dæmonibus sententiam habuerit Julianus, vel maxime ex loco orationis secundæ (90 A, p. 115, 19) apparere, dixerit quispiam. Modo ne falso putetur de dæmonibus locutus esse, quæ non minus de diis spiritualibus et de heroibus accipienda sunt. Sed, quoquo modo res se habet, non inutile erit totum locum protulisse. Mundi opificem, quum nihil mali prope se esse pateretur, omnia mala ex coelo in terram detrusisse. Sed quoniam curæ ei essent animæ nostræ hic versantes, filiis suis mandasse, ut eas hujus mundi malis pollutas purgarent; quorum alios naturam hominum salvam reddere et juvare, alios inexorabiles judices meritam poenam peccatis constituere, alios poenas statutas expetere. (*τὰ κακὰ δὲ οὔτ᾽ ἐγέννησεν (ὁ βασιλεὺς τῶν θεῶν) οὔτ᾽ ἐπέταξεν εἶναι, ἀλλ᾽ αὐτὰ μὲν ἐφυγάδευσεν ἐξ οὐρανοῦ. περὶ δὲ τὴν γῆν στρεφόμενα καὶ τὴν ἐκεῖθεν ἀποικίαν σταλεῖσαν τῶν ψυχῶν διαλαβόμενα κρίνειν ἐπέταξε καὶ διακαθαίρειν τοῖς αὐτοῦ παισὶ καὶ ἐγγόνοις. τούτων*

δὲ οἱ μέν εἰσι σωτῆρες καὶ ἐπίκουροι τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως. ἄλλοι δὲ ἀπαραίτητοι κριταί. τῶν ἀδικημάτων ὀξεῖαν καὶ δεινὴν ἐπάγοντες δίκην ζῶσί τε ἀνθρώποις καὶ ἀπολυθεῖσι τῶν σωμάτων. οἱ δὲ ὥσπερ δήμιοι τιμωροί τινες καὶ ἀποπληρωταὶ τῶν δικασθέντων. [ἕτερον τῶν φαύλων καὶ ἀνοήτων δαιμόνων τὸ φῦλον]) Non credo equidem haec de dæmonibus magis dicta esse, quam de heroibus et de diis spiritualibus. Quae autem extrema leguntur verba uncis supra inclusa, expungenda esse judico ut additamentum librarii cujusdam christiani, contemptionem deorum Juliani ostendentis.

Hoc itaque loco excepto duo aut summum tres locos invenies, unde Juliani de dæmonibus sententiam perspicias. Legimus 445 B, p. 572, 16 Famam, quam deam perhibeant poetæ, potius pro dæmonio habendam esse; dæmonii autem naturam esse non omni ex parte bonam ut deorum sed participem esse quodammodo alterius generis, materiæ scilicet aut mali; aut si de ceteris dæmonibus talia dicere nefas sit, Famæ certe dæmonii illam naturam esse. (*καὶ γὰρ εἰ πολλὰ περὶ τῆς φήμης οἱ ποιηταί φασιν ὡς ἔστι θεός, ἔστω δέ. εἰ βούλει, δαιμόνιον καὶ τὸ τῆς φήμης οὐ πάντη προσεκτέον αὐτῇ. διότι πέφυκε τὸ δαιμόνιον οὐ πάντα καθαρὸν οὐδὲ ἀγαθὸν τελείως ὡς τὸ τῶν θεῶν εἶναι γένος. ἀλλ᾽ ἐπικοινωνεῖ πως καὶ πρὸς θάτερον. εἰ δὲ ὑπὲρ τῶν ἄλλων δαιμόνων οὐ θέμις τοῦτο φάναι, περὶ τῆς φήμης οἶδ᾽ ὅτι λέγων, ὡς πολλὰ μὲν ψευδῶς, πολλὰ δὲ ἀληθῶς ἀγγέλλει, οὔποτ᾽ ἂν αὐτὸς ἁλοίην ψευδομαρτυρῶν.*) Tum vero quales dæmones esse putaret, significavit illud nomen tribuens satyris, bacchis, faunis 220 D, p. 285, 20: "Bacchum," inquit, sequebantur non homines sed satyri, et bacchæ et fauni et dæmonum manus". Cum quibus locis conferendus hic 288 B, p. 371, 11, ubi dicuntur christiani obtrectatores deorum in maleficorum dæmonum potestatem dati esse. Unde conjeceris duo genera dæmonum Julianum credidisse, alterum maleficorum, alterum bonorum. Bonorum autem naturam divinam illam quidem esse sed admixta materia.

Jam de animis, quas dicit particulares, agamus. Sunt autem animæ illæ, quas deos sequentes coelum pervolare Plato quoque docet, ideas et veritatem ipsam per intervalla ægre spectando vitam illam beatam servantes, neglecta ea spectatione in terram decidentes, ut hominum aut bestiarum corporibus immersæ culpam illam expient. Haud aliter credit Julianus animas nostras divinæ vitæ aliquando participes fuisse, tum in inferiorem mundum decidisse nonnullas. Quod vel ex hoc loco satis apparet 145 C, p. 188, 22 *ἡ τοῖς κρείττοσι γένεσιν ἐνδιδομένη μοῖρα βελτίων. ἀγγέλοις, δαίμοσιν, ἥρωσι ψυ-*

χαῖς τε μεριστaῖς. ὁπόσαι μένουσιν ἐν παραδείγματος καὶ ἰδέας λόγῳ. μή-ποτε ἑαυτὰς διδοῦσαι σώματι.

Quamquam non disertis verbis docuit Julianus, qui essent illi, quos heroes appellävit, vix potest dubitari, quin animas quasdam humanis similes sed iis præstantes significaverit, quarum nonnullæ sicut animæ nostræ in hanc vitam descendissent, ut beneficiis mortales adjuvarent. Qualis fuit, ut unum afferam nomen, Hercules. Sed quum fabulæ illæ sacræ, quibus non parvam auctoritatem tribuit Julianus, deos quoque ipsos nonnunquam humana specie assumpta huc descendisse narrent, inde fit, ut non sufficiat ea descensio in terram et corporis humani assumptio ad heroes a diis distinguendis. Ut non facile est dicere, deus an heros potius appellandus sit Bacchus Juliani assentatoribus. Neque ea res maximi est momenti. Missa igitur inutili distinguendi subtilitate jam eos locos consideremus, quibus loquitur auctor de numine aliquo, quod humanam induerit speciem.

In eo veteres sæpe errasse dicit, quod deos et dæmones omnes sub humana specie cogitaverint, quum invisibili essent natura. (82 D, p. 106, 2 *ἐπὶ τῶν ἄλλων εἰκὸς ἦν ἐξαπατηθῆναι θεῶν ἢ δαιμόνων. σχήματα περιτιθέντας ἀνθρώπινα καὶ μορφὰς τοιαύτας. ἀφανῆ μὲν αἰσθήσει καὶ ἀνέφικτον κεκτημένων αὐτῶν φύσιν.*) Sed ut invisibilem deorum naturam hominibus ostenderunt orbes coelestes, ita humana quoque specie assumpta in nostram cognitionem venerunt quidam deorum. Quo in numero vulgo habetur Bacchus. Quin etiam fuerunt qui Bacchum hominem non deum fuisse contenderent, a Semele græca muliere natum; tum propter virtutes per sacra mysteriorum a Jove patre in coelum et coetum deorum esse sublatum sicut Herculem. Sed quod ad Bacchum quidem attinet, non est fabula illa de origine ejus tam simpliciter accipienda. Veteres enim aliud senserunt, quam quod fabulam leviter aspicientibus sensisse videntur. Semele sacerdos fuit, quæ Bacchum deum in mundum venturum, ante quam factum est, sentiens homines ad eum colendum adducere conabatur; tum invidia et ira civium non fulmine Jovis conflagravit. Quam Bacchus aliquanto post ex Indis veniens cum magno satyrorum et baccharum comitatu matrem appellavit, ut eo honore sacerdotem illam piam gratus afficeret. Eo vero consilio venit Bacchus, ut mitigaret feros hominum mores et ad meliorem cultum genus nostrum vocaret.

Leguntur ea, quæ jam de Baccho exposui, in oratione septima 219 A sqq, quæ longum est hic describere. Pauca afferam, unde appareat Julianum credidisse deum illum eam in terris habuisse naturam, quæ etiam oculis cernere-

tur, non ita tantum huc descendisse, ut dona quædam hominibus daret et vim divinam coelitus defunderet. Scripta sunt hæc 221 B, p. 286, 17 *ἐξ Ἰνδῶν ὁ Διόνυσος αὔτοπτος ἐφαίνετο δαίμων, ἐπιφοιτῶν τὰς πόλεις, ἄγων μεθ' ἑαυτοῦ στρατιὰν πολλὴν δαιμονίων τινά.*

Jam quæ de Hercule proposuit satis digna sunt, quæ diligenter consideremus. In illo orationis septimæ loco, cujus partem enarravi, operam dedit auctor, ut ostenderet, quantum interesset inter Herculem et Bacchum humanam speciem induentes, quum hic nihil nisi speciem eam indueret, ille naturæ humanæ vere particeps esset. Quamquam enim Herculis facta multo essent majora quam cujusquam hominis, tamen et natus erat homo et contentione virium facinora illa egregia perfecit non sine multo sudore et fatigatione corporis famem patiens et sitim et calorem et frigus. Tantam vero habuit potestatem, ut perfectum reddere posset quidquid libuerat. Omnia enim cedebant potestati mentis immaculatæ, quæ in divino et puro corpore ejus inerat. Illum creavit summus Juppiter, ut mundo huic esset salutis auctor; tum munere perfecto filium ad se recepit in coelum. (220 A, p. 284, 23 *ὃν ὁ μέγας Ζεὺς — — τῷ κόσμῳ σωτῆρα ἐφύτευσεν, εἶτ' ἐπανήγαγε διὰ τοῦ κεραυνίου πυρὸς πρὸς ἑαυτόν.*) Hercules itaque ut re vera homo fuit, ita ceteris præstabat hominibus in eo quod animus immaculatus et purus erat in corpore puro. Illi non vitio tribuendum, quod corpus induit, quum id hominum salutis causa fecerit. Non enim minus recte ipse descendisse dicitur quam a Jove demissus esse. (167 A, p. 216, 12 *ὅτε αὐτὴν ἔδωκεν ἐκείνῃ σώματι sc. ψυχὴ Ἡρακλέους.*) Quamdiu autem mortale circumferebat corpus, quod sua sponte induerat, ipse se inferior erat; jam vero ad Jovem patrem reversus resumpsit omnem divinæ suæ naturæ potestatem, cujus partem deposuerat homo factus. Quo fit ut nunc etiam facilius consulat rebus humanis quam tum, quum inter mortales versabatur. (167 A, p. 216, 13 *ἐπεὶ καὶ αὐτῷ νῦν Ἡρακλεῖ ὅλῳ πρὸς ὅλον κεχωρηκότι τὸν πατέρα ῥᾴων ἡ τούτων ἐπιμέλεια καθέστηκεν ἢ πρότερον ἦν, ὅτε ἐν τοῖς ἀνθρώποις σαρκία φορῶν ἐστρέφετο.*)

His jam consideratis haud, opinor, difficile erit ea intelligere, quæ de deo Aesculapio et ipso homine facto scripsit duobus locis, quos operæ pretium erit perlegisse. Gignit, inquit, Sol deus in mundo Aesculapium, quem eundem habet ante mundum apud se. (*γεννᾷ μὲν ἐν κόσμῳ τὸν Ἀσκληπιόν, ἔχει δὲ αὐτὸν καὶ πρὸ τοῦ κόσμου παρ' ἑαυτῷ.* 144 B, p. 187, 7.) Alterum locum descripsit Cyrillus 200 A, p. 197, 13. Juppiter, inquit, inter intellectuales ex se procreavit Aesculapium, quem in terris manifestum reddidit per vitam Solis

creatricem. Ille ex coelo in terram profectus specie humana unus apparuit apud Epidaurum, unde multiplicatus in itineribus manum suam salutiferam super omnem terram porrexit. Venit et Pergamum et in Ioniam et postea Tarentum, tum autem Romam; unde Coum profectus est et Aegas. Postea omnibus locis est et terra et mari. Qui quamquam non ad singulos accedit, tamen medetur et animis, quibus male sit, et ægrotantibus corporibus. (*ὁ γάρ τοι Ζεὺς ἐν μὲν τοῖς νοητοῖς ἐξ ἑαυτοῦ τὸν Ἀσκληπιὸν ἐγέννησεν, εἰς δὲ τὴν γῆν διὰ τῆς Ἡλίου γονίμου ζωῆς ἐξέφηνεν. οὗτος ἐπὶ γῆς ἐξ οὐρανοῦ ποιησάμενος τὴν πρόοδον, ἑνοειδῶς μὲν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ περὶ τὴν Ἐπίδαυρον ἀνεφάνη. πληθυνόμενος δὲ ἐντεῦθεν ταῖς προόδοις ἐπὶ πᾶσαν ὤρεξε τὴν γῆν σωτήριον ἑαυτοῦ δεξιάν. ἦλθεν εἰς Πέργαμον. εἰς Ἰωνίαν. εἰς Τάραντα μετὰ ταῦθ', ὕστερον ἦλθεν εἰς τὴν Ῥώμην. ᾤχετο δὲ εἰς Κῶ. ἐνθένδε εἰς Αἰγάς. εἶτα πανταχοῦ γῆς ἐστι καὶ θαλάσσης. οὐ καθ' ἕκαστον ἡμῶν ἐπιφοιτᾷ, καὶ ὅμως ἐπανορθοῦται ψυχὰς πλημμελῶς διακειμένας καὶ τὰ σώματα ἀσθενῶς ἔχοντα.*)

Exposui fere, quæ in scriptis Juliani de natura deorum inveniantur sententiæ. Erat autem id quoque mihi propositum, ut quæ de cultu numinis divini sensisset philosophus ille et idem imperator, ostenderem. Restat igitur, ut de hominum erga deos officiis dicam. Cui disputationi pauca præmittenda sunt de hoc ipso mundo, in quo homines versantur, et de hominum ibi versantium conditione, quod ad immortalem eorum naturam attinet.

Mundi autem hujus omnes partes inde a summo coeli convexo ad infima terræ tam apte cohærent, ut sit mundus universus pro uno corpore. Quod cum sit corpus vitæ et mentis plenum, unum animal recte dici potest. (139 B, p. 180, 12 *ὁ σύμπας κόσμος ἕν ἐστι ζῷον ὅλον δι' ὅλου ψυχῆς καὶ νοῦ πλήρες.*) Qui quamquam a deo creatus esse recte putatur, tamen non minus quam dii ante omne tempus exstitit, ut et semper fuerit et semper sit futurus. (132 C, p. 171, 3 *ὁ θεῖος οὗτος καὶ πάγκαλος κόσμος ἀπ' ἄκρας ἁψῖδος οὐρανοῦ μέχρι γῆς ἐσχάτης ἐξ ἀιδίου γέγονεν ἀγεννήτως ἔς τε τὸν ἐπίλοιπον χρόνον ἀίδιος.*) Eadem sententia plerisque aliis locis confirmatur ut 145 D, p. 189, 7 *ὑπέστη μὲν οὖν ὁ φαινόμενος ἐξ αἰῶνος κόσμος.* Quo loco audaciores fuisse dicit Platonem et Iamblichum in eo, quod ortum quendam temporalem mundi opinionis causa cogitatione finxissent, id quod se quidem ingenio inferiorem minime audere, quum ne cogitatione tenus quidem illud sine periculo fieri Iamblichus dixerit. (146 B, p. 189, 22 *πλὴν ἀλλ' ἔμοιγε τῆς ἐκείνων ἀπολειπομένῳ παντάπασι δυνάμεως οὐδαμῶς ἐστι παρακινδυνευτέον, ἐπείπερ ἀκίνδυνον*

οὐδὲ αὐτὸ τὸ μέχρι ψιλῆς ὑποθέσεως χρονικήν τινα περὶ τὸν κόσμον ὑποθέσθαι ποίησιν ὁ κλεινὸς ἥρως ἐνόμισεν Ἰάμβλιχος.) Cogitandus itaque, ubicumque de mundo velut orto loquitur, ortus quidam non temporalis. Sequitur autem ex his, ut materia quoque æterna habeatur, quum ex illa partim constet mundus. Nec non disertis verbis docet materiam sicut deos ab omni æternitate ortam esse. (170 C, p. 221, 6 *ἐξ ἀιδίου συμπροελθούσης τῆς ὕλης τοῖς θεοῖς.*)

Non opus est, opinor, monere hæc ejusmodi esse, quæ intelligi nequeant, quum secum pugnantia fingantur. Neque mireris Julianum nonnumquum oblitum esse, quam periculosum esset de mundo dicere velut in tempore orto. Quod eum re vera fecisse vix potest negari. (Cfr 144 B, p. 187, 7 *γεννᾷ μὲν ἐν κόσμῳ τὸν Ἀσκληπιόν, ἔχει δὲ αὐτὸν καὶ πρὸ τοῦ κόσμου παρ' ἑαυτῷ.*)

Mundus itaque hic qui conspicitur, unum illud animal, ex duobus constat partibus, quarum altera spiritualis est et divina, altera materia. In ea parte, quæ supra lunam est vel supra viam lacteam, omnia divina sunt et immutabilia sine materia. Ad viam lacteam materia cum eo, quod re vera est, miscetur, ut in inferiore mundi parte non inveniatur vera essentia, quum fluant omnia et mutentur et semper fiant, semper intereant, numquam sint. Infima omnium rerum terra est, in qua versantur omnia mala quam longissime a coelo remota. Malum autem idem esse ac materiam non dicit; sed vinculo artissimo cohærere illa inter se satis indicavit. Cfr 175 B, p. 226, 27 *ἔσχατον τῶν ὄντων ἡ γῆ. ἐνταῦθα δέ φησιν ἀπελαθέντα καὶ Πλάτων τὰ κακὰ στρέφεσθαι, καὶ διὰ τῶν λογίων οἱ θεοὶ σκύβαλον αὐτὸ πολλαχοῦ καλοῦσι, καὶ φεύγειν ἐντεῦθεν πολλαχοῦ παρακελεύονται.* Quo quum deciderint animæ nostræ ex beatissimis deorum sedibus, omni ope nitendum, ut ex vinculis materiæ et malorum liberatæ in patriam rursus revertantur.

Supra commemoravi in numero deorum Julianum habere animas quoque, quas dicit particulares, quæ earum in primo manserint statu neque ex coelo deciderint. Esse autem illas animas humanas; quas integras apud deos manere, scelere aliquo contaminatas delabi et in corpora includi humana. Ut appareat eum animas nostras non minus ante hanc vitam exstitisse putare quam post mortem duraturas. Hominem autem putat esse dæmonem in corpore inclusum multa ex illa conjunctione mala perferentem, quum natura sit immunis malorum et divinus. (70 B, p. 89, 22 — *τὸν ἐν ἡμῖν δαίμονα, ὄντα μὲν ἀπαθῆ τῇ φύσει καὶ θεῷ ξυγγενῆ, πολλὰ δὲ ἀνατλάντα καὶ ὑπομείναντα διὰ τὴν πρὸς τὸ σῶμα κοινωνίαν* —)

:

Genus humanum ita propagatur, ut corpora ex corporibus nascantur, animæ ex coelo demittantur, hoc opus administrante sole; unde recte dicitur homo ab homine gigni et a sole, quum ceteri quoque dii per illum animas demittentes humani generi propagando consulant. (131 C, p. 169, 23 *λέγεται γὰρ ὀρθῶς ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾶν καὶ ἥλιος. ψυχὰς δὲ οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ μόνον ἀλλὰ καὶ παρὰ τῶν ἄλλων θεῶν σπείρειν εἰς γῆν.*) Fuit autem genus nostrum in hoc mundo inde ab initio mundi; tum enim simul cum mundo creati sunt a diis primi homines, unde omnes ducimus originem. Illud dubitari potest, utrum primi illi hominum parentes duo tantum fuerint, mas et femina, an pleraque conjugia. Hoc veri similius et singulos deos singula conjugia creasse. Sed sive duo sive plures primi fuerunt parentes, omnes homines vinculo conjuncti sumus consanguinitatis. Nihil enim interest, ab uno an a pluribus diis creati dicantur parentes primi, quum plures illi dii etiam unus deus sint. Cfr 291 D, p. 375, 11 *ἄνθρωπος γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ ἑκὼν καὶ ἄκων πᾶς ἐστι συγγενής. εἴτε, καθάπερ λέγεται παρά τινων, ἐξ ἑνός τε καὶ μιᾶς γεγόναμεν πάντες, εἴθ' ὁπωσοῦν ἄλλως, ἀθρόως ὑποστησάντων ἡμᾶς τῶν θεῶν ἅμα τῷ κόσμῳ τῷ ἐξ ἀρχῆς, οὐχ ἕνα καὶ μίαν, ἀλλὰ πολλοὺς ἅμα καὶ πολλάς.* Et paulo infra 292 B, p. 376, 6 *ὅτι δὲ πολλοὺς ἅμα ἀνθρώπους γενέσθαι μαρτυρεῖ τὰ ἔργα, ῥηθήσεται μὲν ἀλλαχοῦ κ. τ. λ.*

Hominum autem animas, sicut de coelo huc venerunt, ita post vitam hanc in coelum reverti, si eo reditu dignæ visæ sunt, consentaneum est. Quam sententiam multis locis nec obscure proposuit. V. p. 600, 17 *ἔτι δὲ πάντων ὑπελάμβανον* (*οἱ πάλαι* scilicet, quibus credendum monet) *ἀρχὴν εἶναι καὶ τέλος τοὺς θεούς, ζῶντάς τε ἡμᾶς ἐνόμισαν ὑπὸ θεοῖς εἶναι καὶ ἀπιόντας πάλιν πρὸς τοὺς θεοὺς πορεύεσθαι.* — 452 C, p. 586, 3 *οὐ γὰρ δὴ καὶ ἡμεῖς ἐσμεν τῶν πεπεισμένων τὰς ψυχὰς ἤτοι προαπόλλυσθαι τῶν σωμάτων ἢ συναπόλλυσθαι.*

Jam quæri potest, utrum semper mansuras crediderit animas post mortem an diu. Quum autem una cum mundo eas ab æterno tempore creatas esse dixerit, et mundum hunc in æternum tempus duraturum, fieri vix potest, quin animas quoque æternas futuras putaverit. Sed illud non sequitur, ut anima semel ex terra in coelum redux semper maneat in prospero illo statu. Immo vero arbitratus est Julianus animam hominis, quo justius et sanctius in terra vixisset, eo diutius inter deos mansuram; non multis fas esse sperare se in terram numquam denuo reversuras. Quam ob rem in fine orationis quartæ Solem deum precatur, ut animam suam post mortem ad se recipiat et retineat, si

fieri possit, in æternum, sin minus quam diutissime. (158 B, p. 205, 10 *εὔχομαί μοι γενέσθαι ἄνοδον ἐπ' αὐτὸν τὸ μετὰ τοῦτο καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ μάλιστα μὲν ἀΐδιον, εἰ δὲ τοῦτο μεῖζον εἴη τῶν ἐμοὶ βεβιωμένων, πολλὰς πάνυ καὶ πολυετεῖς περιόδους.*)

Satis notum est Platonem sensisse animam de coelo delapsam, quum in humano corpore inclusa unius vitæ cursum confecisset, apud inferos per mille annos præmiis aut poenis affici propter ea, quæ in vita egisset, tum in novum corpus immitti et post mille annos rursus in aliud, ut decem milibus annorum decies in terra esset, decies apud inferos; tum demum in coelum reverti. Fieri tamen posse, ut anima ea, quæ optimum vitæ genus ter deinceps elegisset, post tres ætates ad deos reverteretur.

Quum Julianus haud temere a sententia Platonis discesserit, est quod putemus eum in hac quoque re idem fere ac philosophum illum sensisse, quamvis nullum invenerim locum in libris ejus, ubi hoc disertis verbis dicat. Haud scio an illud consilio prætermiserit, quum inter mysteria haberet doctrinam illam. Quod mihi significare videntur quæ leguntur p. 600, 20: *τὸ μὲν οὖν ὑπὲρ τούτων λέγειν, εἴτε τοῖς αὐτοῖς ἀμφότερα προσήκει θεοῖς, εἴτε ἕτεροι μὲν ἐπιτροπεύουσι τοὺς ζῶντας, ἕτεροι δὲ τοὺς τεθνεῶτας, οὐδ' ἄξιον ἴσως δημοσιεύειν.* At tamen in fragmento epistolæ p. 384 sqq. quum versus quosdam oraculi explicaret, ea locutus est, quæ ostendant eum putasse animas hominum mortuorum apud inferos aliquamdui versari. V. 300 B, p. 385, 2 *πάντως ἡμῖν οὗτος (ὁ θεὸς) οὐχὶ καὶ ἀνάξει τὰς ψυχὰς ἡμῶν ἀπὸ τοῦ ζόφου καὶ τοῦ Ταρτάρου μετ' εὐσεβείας αὐτῷ προσιόντων; οἶδε μὲν γὰρ καὶ τοὺς ἐν τῷ Ταρτάρῳ κατακεκλεισμένους· οὐδὲ γὰρ ἐκεῖνα τῆς τῶν θεῶν ἐκτὸς πίπτει δυνάμεως· ἐπαγγέλλεται δὲ τοῖς εὐσεβέσι τὸν Ὄλυμπον ἀντὶ τοῦ Ταρτάρου.*

Ex his, quæ jam exposui, vix credibile videtur Julianum æterna supplicia quemquam manere credidisse. Confirmatur hæc opinio iis, quæ leguntur in fine libri illius contra Constantinum satis acerbe scripti, qui inscribitur Convivium. Narrat enim Constantinum impietatis et parricidii crimine damnatum dæmonibus vindicibus traditum esse cruciandum, donec ejus quoque Jovem misereret.

Præterea hoc loco animadvertendum censeo ne Cyrillum quidem in sententiis Juliani refutandis eam ob causam doctrinam suam amplectendam esse dicere, quod ex suppliciis liberet nos æternis, sed quod vera sit; miserum autem Julianum, non quod poenas daturus sit æternas, sed quod falso credat.

Homini itaque, qui eam habet originem et in eam rediturus est patriam, unum est longe gravissimum munus impositum, ut bene et sancte vivendo eo reditu dignum se præbeat. Quare virtus est omni ope expetenda, cujus et initium est et finis pietas erga deos, cum qua necessario est conjuncta justitia et benevolentia erga homines. Interest igitur ad justum deorum cultum præter veram de diis opinionem cognovisse, quæ sint in deos, quæ in homines officia servanda.

Inter ea, quæ in ipsos deos servantur, officia non solum amor habetur et reverentia quum mentis tum linguæ sed etiam preces fundere, sacra ritu majorum facere, templa et delubra et statuas deorum colere, adversus sacerdotes deorum reverentiam adhibere. Quorum officiorum plurimi sunt ea habenda, quæ in mentis habitu continentur, sed ita ut externa illa minime sint negligenda. Exstiterunt quidem his temporibus, qui quærerent — christianos dicit et philosophos quosdam — quomodo illa, quæ corporea essent natura, ad divinum numen pertinerent; an illi opus esse hostias et altaria? Quod nihil aliud est quam officii effugium, quum ea præstare recusent, quæ sint in potestate ipsorum, deum talia non curare simulantes. Sed neque hæc deo opus sunt neque preces et reverentia hominum, quarum rerum neutram negligendam intellegunt obtrectatores illi.

Quid de simulacris deorum colendis censeat Julianus, jam supra dictum in enarrando fragmento epistolæ ad sacerdotem missæ. Quo in fragmento dixit simulacra illa, ut signa tantum essent divinæ præsentiæ, non ipsa divina natura, ita minime contemnenda esse pro vilibus lignis et lapidibus. Poterit fortasse aliquis suspicari eum tam sanam de simulacris sententiam coactum proposuisse, ut impetus averteret christianorum et philosophorum nonnullorum cultum eum pro foeda superstitione irridentium. Est enim ubi ita locutus sit, ut appareat eum aliquid divini numinis in simulacro inesse putasse. Quam rem maxime declarat initium orationis quintæ, ubi narratur fabula de simulacro magnæ matris Romam non sine miraculo vecto. "Illud, inquit, romanis illo die ostendit dea, non parvi esse pretii, quod ex Phrygia in nave portabatur, sed longe pretiosissimum, neque humanum sed re vera divinum, neque inanimum et terrenum sed spiritus et divinitatis particips". (160 D, p. 208, 22 *Ῥωμαίοις ἔδειξεν ἡ θεὸς κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν, ὡς οὔτε μικροῦ τινος τίμιον ἀπὸ τῆς Φρυγίας ἐπῆγον τὸν φόρτον ἀλλὰ τοῦ παντὸς ἄξιον, οὔτε ὡς ἀνθρώπινον τοῦτον ἀλλὰ ὄντως θεῖον, οὔτε ἄψυχον γῆν ἀλλὰ ἔμπνουν τι χρῆμα καὶ δαιμόνιον.*) Inter se comparatis hoc loco et illo fragmento epistolæ, ubi de

simulacris loquitur tamquam non divinis sed operibus hominum caducis (ut 293 A, p. 377, 4 *ἀγάλματα γὰρ καὶ βωμοὺς καὶ πυρὸς ἀσβέστου φυλακὴν καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα σύμβολα οἱ πατέρες ἔθεντο τῆς παρουσίας τῶν θεῶν, οὐχ ἵνα ἐκεῖνα θεοὺς νομίσωμεν, ἀλλ' ἵνα δι' αὐτῶν τοὺς θεοὺς θεραπεύσωμεν;* et 294 D, p. 379, 2 *εἴ τις οὖν οἴεται δεῖν αὐτὰ μηδὲ φθείρεσθαι διὰ τὸ θεῶν ἅπαξ εἰκόνας κληθῆναι, παντελῶς ἄφρων εἶναί μοι φαίνεται. χρῆν γὰρ δήπουθεν αὐτὰ μηδὲ ὑπὸ ἀνθρώπου γενέσθαι*) intelligimus eum ita sensisse ipsum illud simulacrum per se nihil habere divini, sed divinum fieri, quum accedat et velut ibi habitet numen divinum.

Haud aliam de templis deorum sententiam habuit. Quae ut ab hominibus facta humana sint et caduca, ita, dum in iis maneat numen aliquod divinum, pro sanctissimis et re vera divinis habenda esse arbitratur. Impium itaque facinus commiserunt illi, qui simulacrum dejecerunt aut templum everterunt, sed non effecerunt, id quod sperabant, ut appareret falsam esse opinionem sanctitatis eorum. Quid igitur mirum, si antiochenses templum Apollinis, quod apud Daphnen in suburbio ipsorum fuerat, incendio delere potuerunt? Quod templum jam ante id tempus numen Apollinis reliquisse certissimis signis ipse se intellexisse dicit Julianus. (361 C, p. 466, 20 *ἐμοὶ μὲν οὖν ἐδόκει καὶ πρὸ τοῦ πυρὸς ἀπολελοιπέναι τὸν νεὼν ὁ θεός· ἐπεσήμηνε γὰρ εἰσελθόντι μοι πρῶτον τὸ ἄγαλμα· καὶ τούτου μάρτυρα καλῶ τὸν μέγαν Ἥλιον.*)

At si illud, inquiunt, quod tam impium dicis facinus multi commiserunt sine ullo suo detrimento, nonne ea res satis ostendit falso te credere deos esse numina illa, quum ne tantum quidem valeant, ut poena aliqua injurias ulciscantur? Respondet his Julianus: satis scio Solis templa, summi dei, multis locis dejecta esse et deleta, eosque, qui talia ausi sunt, non omnes poenas dedisse. Sunt enim quos poena affecerit, sunt quos plane neglexerit. Quorum priores meliore usi sunt fortuna, quum digni haberentur, quos poena corrigeret deus. Punit enim deus non dolore aliquo ex injuria affectus, sed ut miseros illos homines ita monitos servet. An quis homo eam habet potestatem, ut ad deos usque perveniat et eos juvare aut iis nocere possit, quidquid agit? (80 C, p. 103, 5) Quam ob rem ii, qui deorum negligunt cultum, illis nihil nocent sibi plurimum; videmus enim plerosque, quum in dæmonum maleficorum venerint potestatem, a diis neglectos miserrimam degere vitam (288 A, p. 371, 4). Dii autem sua persequentes consilia multa fieri patiuntur, quae contra eos impii suscipiunt; et non templa solum et simulacra violari sinunt sed etiam multos

homines pietate et virtute præstantes ab inimicis interfici, quamquam diis cordi esse illos utique putandum. Sed ni mirum corpora eorum hominum mortalia erant et caduca, sicut templa et simulacra et omnia humana, ut ea aliquando perire necesse esset (295 C, p. 379, 13).

Talibus fere disputavit Julianus, ut ostenderet ad sanum divini numinis cultum pertinere templa altaria simulacra deorum colere, nec recte reprehendi se et suos ab nonnullis velut turpi superstitioni deditos, quod res mortuas tamquam divinas vererentur aut hostiis ceterisque mortalium donis gaudere deos putarent. Pertinent autem hæc non ad christianos solos refutandos, sed etiam ad alios multos, qui illum cultum contemnebant. Quo in numero philosophi erant cynici, qui, auctorem sectæ suæ Diogenem ferentes, illum neque templa adiisse neque simulacra aut altaria coluisse jactabant. Unde si quis monstrari putaret, obtrectatorem illum fuisse deorum, valde eum errare monuit Julianus. Diogenem enim illa officia prætermisisse, non quod parvi duceret, sed quia tam angustis rebus viveret, ut prorsus nihil haberet, quod diis offerret. Eundem tamen, si sanam de numine divino opinionem haberet, optimum sacrificium iis dedisse mentis pietatem. (199 B, p. 257, 27. *εἰ δέ, ὅτι μὴ προσῄει μηδὲ ἐθεράπευε τοὺς νεὼς μηδὲ τὰ ἀγάλματα μηδὲ τοὺς βωμούς, οἴεταί τις ἀθεότητος εἶναι σημεῖον, οὐκ ὀρθῶς νομίζει· ἦν γὰρ οὐδὲν αὐτῷ τῶν τοιούτων, οὐ λιβανωτός, οὐ σπονδή, οὐκ ἀργύριον, ὅθεν αὐτὰ πρίαιτο. εἰ δὲ ἐνόει περὶ θεῶν ὀρθῶς, ἤρκει τοῦτο μόνον· αὐτῇ γὰρ αὐτοὺς ἐθεράπευσε τῇ ψυχῇ, διδοὺς οἶμαι τὰ τιμιώτατα τῶν ἑαυτοῦ, τὸ καθοσιῶσαι τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν διὰ τῶν ἐννοιῶν.*)

Nemo, qui hæc verba legerit, arbitrari potest Julianum ita deditum fuisse suæ de natura et cultu deorum doctrinæ, ut præter omnia interesse putaret eadem adhibere verba de diis loquentem, quibus ipse uteretur, aut cærimonias quasdam et sacra et alias extra animum res observare, quum multo magis confiteretur parvi esse talia momenti præ mentis pietate. Sed non credebat piam erga divinum numen reverentiam in eo homine esse, qui deorum appellationes templa simulacra irrisui haberet.

Ad alium jam locum legentes attendere velim 213 D, p. 277, 4, ubi eandem in sententiam disputat nihil interesse, utrum magnum sit an parvum, quod offeratur, sacrum, dummodo pius sit animus offerentis; aliter enim prorsus nihil effici vel mille bobus immolandis. (*ἤ τοῦτό σε λέληθεν, ὅτι πάντα καὶ τὰ μεγάλα καὶ τὰ σμικρὰ μετὰ τῆς ὁσίας τοῖς θεοῖς προσαγόμενα τὴν ἴσην ἔχει*

δύναμιν. ἐστερημένη δὲ τῆς ὁσίας οὐκ ἑκατόμβη μὰ θεούς. ἀλλὰ ἡ τῆς ὀλυμπιάδος χιλιόμβη ἀνάλωμα μόνον ἐστίν, ἄλλο δὲ οὐδέν;)

Apparet eum, qui tam sanas de hac re opiniones haberet, non debuisse cogere homines, ut ritus, quos sanctos putaret ipse, adhiberent quamvis inviti. Nec non in epistola ad Bostrenos data vetuit quemquam invitum ad aras deorum trahi. Immo vero ne admittendos quidem, qui cuperent ad cultum, quem reliquissent, deorum redire nisi lustrationibus quibusdam ante susceptis. (436 C, p. 560, 12 *οὐδένα γοῦν αὐτῶν ἄκοντα πρὸς βωμοὺς ἐῶμεν ἕλκεσθαι, διαρρήδην δὲ αὐτοῖς προαγορεύομεν, εἴ τις ἑκὼν χερνίβων καὶ σπονδῶν ἡμῖν ἐθέλει κοινωνεῖν. καθάρσια προσφέρεσθαι πρῶτον καὶ τοὺς ἀποτροπαίους ἱκετεύειν θεούς. οὕτω πόρρω τυγχάνομεν τοῦ τινα τῶν δυσσεβῶν ἐθελῆσαί ποτε ἢ διανοηθῆναι τῶν παρ' ἡμῖν ἐναγῶν μετασχεῖν θυσιῶν, πρὶν τὴν μὲν ψυχὴν ταῖς λιτανείαις πρὸς τοὺς θεούς. τὸ δὲ σῶμα τοῖς νομίμοις καθαρσίοις καθήρασθαι.*)

In eadem epistola hæc quoque leguntur, æquitatis ejus et prudentiæ non leve documentum ut illis temporibus. Dicendo, inquit, hominibus persuadendum est, non verberando. Quam ob rem Galilæis, quamvis impiis, parcendum. Misericordia enim digni sunt non odio, qui diis relictis ad reliquias mortuorum confugerint, impietatis malo omnium gravissimo impliciti. (438 B, p. 562, 10 *λόγῳ δὲ πείθεσθαι χρὴ καὶ διδάσκεσθαι τοὺς ἀνθρώπους. οὐ πληγαῖς οὐδὲ ὕβρεσιν οὐδὲ αἰκισμῷ τοῦ σώματος. αὖθις δὲ καὶ πολλάκις παραινῶ τοῖς ἐπὶ τὴν ἀληθῆ θεοσέβειαν ὁρμωμένοις μηδὲν ἀδικεῖν τῶν Γαλιλαίων τὰ πλήθη. μηδὲ ἐπιτίθεσθαι μηδὲ ὑβρίζειν εἰς αὐτούς. ἐλεεῖν δὲ χρὴ μᾶλλον ἢ μισεῖν τοὺς ἐπὶ τοῖς μεγίστοις πράττοντας κακῶς. μέγιστον γὰρ τῶν καλῶν ὡς ἀληθῶς ἡ θεοσέβεια καὶ τοὐναντίον τῶν κακῶν ἡ δυσσέβεια. συμβαίνει δὲ τοὺς ἀπὸ θεῶν ἐπὶ τοὺς νεκροὺς καὶ τὰ λείψανα μετατετραμμένους ταύτην ἀποτῖσαι τὴν ζημίαν.*)

Non licet, ut mihi quidem videtur, epistola LXXVII pro argumento utentem inde ostendere Julianum æquitatem illam, quam verbis simularet, re sustulisse. Monuit illa epistola Julianus servandum esse institutum optimum majorum, ex quo noctu non interdiu efferrentur mortui. Quem morem oblivioni datum esse sed jam revocandum, sive parere vellent homines sive nollent. Poenas enim intendit reluctantibus. Nec tamen ob eam causam vere dici potest Julianus homines cogere voluisse, ut suam amplecterentur religionem. Putabat enim — id quod satis docet epistola illa — mortuorum visu turbari multa sacra et cærimonias et maximum ita incommodum afferri hominibus

piis more illo perverso interdiu sepeliendi. Cum igitur nulla obsisteret religio, quominus noctu sepelirent, æquum fuit statuere omnibus id faciendum, quod nemini obesset.

Eadem de causa, qua templa deorum et aræ et simulacra pro sacris habenda sunt et colenda, sacerdotibus quoque eorum honos et benevolentia debetur; quo modo ipsos veneramur deos. Quare, ut non licet illa contemnere velut saxa et ligna, ita in deos peccatur sacerdotibus lædendis. Neque illud scelus excusatur, si qui sacerdos parum dignus visus est, qui tanto honore afficiatur. Dum in ministerio manebit, honorandus est deorum causa non sua. Sed ministerio illi privandi, quorum non sunt probandi mores.

Multa ostendunt Julianum voluisse vetere restituta religione summo in honore esse sacerdotes. Jam vidimus, quibus verbis moneret, ne sacerdos intempestive summitteret se ducibus exercituum (p. 27). Dicit autem in eodem fragmento epistolæ aut tantundem deberi sacerdotibus aut etiam plus honoris quam magistratibus, quum et nos per illos adeamus deos et dei illorum gratia beneficia in nos cumulent. Quo modo medius collocatur inter homines ceteros et deos sacerdos, parum sane ex prisca religionis simplicitate. (Cfr. 296 B, p. 380, 19 *εὔλογον δὲ καὶ τοὺς ἱερέας τιμᾶν ὡς λειτουργοὺς θεῶν καὶ ὑπηρέτας καὶ διακονοῦντας ἡμῖν τὰ πρὸς τοὺς θεούς, συνεπισχύοντας τῇ ἐκ θεῶν εἰς ἡμᾶς τῶν ἀγαθῶν δόσει· προθύουσι γὰρ πάντων καὶ ὑπερεύχονται. δίκαιον οὖν ἀποδιδόναι πᾶσιν αὐτοῖς οὐκ ἔλαττον, εἰ μὴ καὶ πλέον, ἢ τοῖς πολιτικοῖς ἄρχουσι τὰς τιμάς.*)

Potest alicui mirum videri Julianum imperatorem sacerdotibus majorem habendum esse honorem dixisse quam civitatem gubernantibus, quod ipsius auctoritas ita sit imminuta. Sed non adeo oblitus est sui. Quod enim sacerdotibus deberi dixit, sibi primo postulabat, principem inter illos locum tenenti ut pontifici maximo. Utile autem putavit et fortasse necessarium tantam sacerdotibus dare auctoritatem eam ob causam, ut mihi videtur, quod sperabat optimos eos sibi futuros adjutores ad legem christianam impugnandam, si tantam inter suos haberent auctoritatem, quantam suis sacerdotibus tribuerent christiani.

Sed non diis solum ipsis et templis et sacerdotibus eorum officia debentur sed etiam ceteris omnibus hominibus; omnes enim inter nos amare debemus. Qua in re haud scio an plurimum a christianis didicerit obtrectator legis eorum Julianus. Quod enim monet omnes cognatos esse homines et inter se amare debere quocumque loco natos et quacumque in patria (cfr. 290 D, p. 374, 10 *φαίην δ' ἄν, εἰ καὶ παράδοξον εἰπεῖν, ὅτι καὶ τοῖς πολεμίοις ἐσθῆτος καὶ*

τροφῆς ὅσιον ἂν εἴη μεταδιδόναι, illud quidem non e praeceptis et institutis veterum graecorum et romanorum sumpsit. Quin etiam confitetur quamvis invitus illud praeceptum amoris erga egenos maxime et miseros ostendendi christianos melius perficere quam gentiles. Queritur enim in illo fragmento epistolae saepius laudato his verbis: (305 B. p. 391, 13) *ἐπειδὴ γὰρ οἶμαι συνέβη τοὺς πένητας ἀμελεῖσθαι παρορωμένους ὑπὸ τῶν ἱερέων, οἱ δυσσεβεῖς Γαλιλαῖοι κατανοήσαντες ἐπέθεντο ταύτῃ τῇ φιλανθρωπίᾳ καὶ τὸ χείριστον τῶν ἔργων διὰ τοῦ δοκοῦντος (εὐδοκιμοῦντος?) τῶν ἐπιτηδευμάτων ἐκράτυναν.*

Non opus est, opinor, omnia denuo proferre, quae in illo fragmento de officiis erga homines scripsit. Satis erit unum addere locum, quo ostendam Julianum sensisse non agendo solum in alterum peccari sed etiam cogitando. Nam in oratione septima, qua impugnavit impudentiam cynicorum et contemptum omnium, quae vulgo honesta haberentur, monet legem sacram nobis a natura insitam vetare nos expetere quae alterius sunt aut facto aut dicto aut intimo mentis sensu. (209 C, p. 271, 20 — *νόμος ἱερὸς ὢν φύσει καὶ θεῖος ὁ τῶν ἀλλοτρίων πάντῃ καὶ πάντως ἀπέχεσθαι κελεύων καὶ μήτε ἐν λόγῳ μήτε ἐν ἔργῳ μήτε ἐν αὐταῖς ταῖς λανθανούσαις τῆς ψυχῆς ἐνεργείαις ταῦτα ἐπιτρέπων συγχεῖν.*)

Neque tamen est cur miremur Julianum nonnumquam oblitum esse se studio christianos superandi beneficiis in genus humanum conferendis omnes egenos sine discrimine benigne tractandos esse dixisse. Supra commemoravi, quae in extrema epistola ad Arsacio data scripsisset, auxilium iis ita praebendum, si propitiam sibi reddere studuissent matrem deorum, additis his Homeri versibus:

Οὐ γάρ μοι θέμις ἐστὶ κομιζέμεν οὐδ᾽ ἐλεαίρειν
Ἀνέρας, οἵ κε θεοῖσιν ἀπέχθωντ᾽ ἀθανάτοισιν.

Servavit nobis Photius fragmentum ex libris Juliani contra christianos, quod ipse legerat Photius in libro Cyrilli contra Julianum jam perdito. Irridet ibi Julianus velut stultum et absurdum praeceptum illud Christi, quo monet discipulos, ut venundatis omnibus, quae haberent, egentibus donarent, quod inde redisset. Legitur hoc fragmentum in editionis Neumannianae pagina 237: *ἀκούσατε καλοῦ καὶ πολιτικοῦ παραγγέλματος· "πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα καὶ δότε πτωχοῖς· ποιήσατε ἑαυτοῖς βαλάντια μὴ παλαιούμενα." ταύτης τις εἰπεῖν ἔχει πολιτικωτέραν τῆς ἐντολῆς; εἰ γὰρ πάντες σοι πεισθεῖεν, τίς ὁ ὠνησόμενος; κ. τ. λ.*

Exposui, in quantum ea res ipsius scriptis Juliani illustratur, quid de deorum natura credendum esse et quæ in deos et propter eos in homines officia servanda esse putaverit. Jam vero illud reputandum illa omnia ex illius sententia non tantum valere, ut hominem malis vitæ liberatum ad deos revehant. Non enim credit homines ipsos viam sibi aperire in coelum; dei sive fati consilio constitutum est, ut post certum temporis spatium animæ in terram delapsæ, cum jam satis poenæ dederit, reditus pateat in sedes beatissimas. Beneficio autem deorum hominibus præmonstrata est via, quæ potissimum ingredienda est, ut quam rectissime ad finem optatum pergant. Maximum ad hoc datum est auxilium mysteria, quæ non licet negligere. Nemo potest exspectare, ut ex verbis Juliani eluceat, quid fuerit illud, quod in mysteriis tantam haberet vim ad homines diis conciliandos; neque enim fas erat talia in vulgus efferre. Sed multis modis allicere videtur legentes, ut arcanam mysteriorum sapientiam ipsi cognoscant, in medio sermone obmutescens et ipse se reprehendens, quod longius progressus sit in iis enarrandis, quæ initiatis solis audire liceret. Satis multis verbis de sanctitate mysteriorum et utilitate locutus est in orat. VII. Ubi quum monuisset philosophorum summos plurimum tribuisse mysteriis, rationes refutat cynicorum illa contemnentium auctore, ut ipsi præ se ferebant, Diogene. (238 A, p. 308, 7) Noluit Julianus aut fortasse non ausus est de magno hujus philosophi nomine detrahere; quem alicui respondisse constabat, ut initiaretur monenti, ridiculum esse putare initiatum quemlibet apud inferos omnia prospera assecuturum, Agesilaum vero et Epaminondam, ut non initiatos, in luto jacere. Vetat Julianus propter illud dictum philosophi celeberrimi nos credere eum parvum aut nullum emolumentum mysteriorum esse putasse. Longe alia causa abstinuit, ne initiaretur. Scilicet ei necesse erat, antequam sacros illos ritus adiret, civitatem accipere atheniensem, quod noluit. Mundi enim non Athenarum civem se haberi voluit. Quod si ita fuit, quare non dixit Diogenes se tali ratione ductum mysteria aversari, non quia contemneret? Ideo quod multa sentit homo sapiens, quæ imprudentium vulgo enuntiare nec velit nec debeat.

Haud aliter accipiendum est responsum Pythagoræ, hominem quendam vituperantis, qui putabat se, quia initiatus esset, omnia facere posse sine offensione deorum. Verissime enim monuit Pythagoras expertem quoque mysteriorum præmia manere post mortem, si recte vixisset, neque effugere impium et improbum supplicia quamvis initiatum. Neque tamen inde sequitur nihil

inesse in mysteriis auxilii ad bene vivendum et recte sentiendum et gratiam deorum conciliandam.

Finem hujus disputationis jam facturus paucis ostendam, quale de religione judæorum et christianorum judicium in scriptis suis fecerit Julianus.

Nemini mirum videbitur, opinor, eum illam quam hanc pluris fecisse, quum in odium christianæ legis paulatim induceretur eam impugnando, judæos sua sibi sacra habere haud invitus sineret, adversarios illa ætate minime metuendos. Quin etiam judæis laudandis arma petivit contra christianos velut a lege illorum ad multo deteriora delapsos. In libris contra christianos ostendere studet magis veri similia esse et summo deo digniora, quæ philosophi græcorum de numine divino proposuissent, quam quæ de ea re in libris Mosis legerentur; sed hoc ideo maxime facit, ut christianos reprehendat, qui pro melioribus deteriora secuti sint, ne illa quidem integra et sincera servantes.

Præterea, quum id agit, ut religionem suam meliorem esse quam judaicam ostendat, leniorem se præstat, quam ut illos exagitet velut inani superstitioni deditos. Haud invitus concedit in deorum numero habendum esse et omni veneratione dignum illum, quem solum deum prædicabant judæi. Quin etiam ei videntur judæi suo jure maximos habere illi honores, in eo tantum reprehendendi, quod ceteros deos esse negent. Diis enim spiritualibus aliis alias subjectas esse nationes, ut consentaneum sit judæos Jehova suo tantum tribuere, quantum Marti romanos, aliis alios populos. Itaque dicere potuit bona fide se quoque deum illorum colere. (c. chr. 354 B, p. 230, — *ἀεὶ προσκυνῶν (εἰμι) τὸν θεὸν Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ* — et paulo infra — *ἐσεβάσθησαν δὲ θεόν, ὅς ἐμοὶ καὶ τοῖς αὐτόν, ὥσπερ Ἀβραὰμ ἔσεβε, σεβομένοις εὐμενὴς ἦν, μέγας τε ὢν πάνυ καὶ δυνατός.*)

Jam vero, quum memoria teneamus Julianum deos illos spirituales ita multos esse statuisse, ut iidem essent omnes et unum efficerent numen, a summo deo generati nec disjuncti, non mirabimur Julianum deum judæorum summum deum nonnumquam appellasse. (453 D, p. 588, 2. — *ὃν τιμῶσι* — *ἀληθῶς ὄντα δυνατώτατον καὶ ἀγαθώτατον, ὅς ἐπιτροπεύει τὸν αἰσθητὸν κόσμον, ὃν εὖ οἶδ' ὅτι καὶ ἡμεῖς ἄλλοις θεραπεύομεν ὀνόμασιν.* Qui locus etsi mancus est, sententiam satis manifestam reddit.)

Ostendit denique epistola XXV, quanta humanitate erga judæos usus sit et quantopere studuerit iis persuadere opinionem suam de numine divino non plane abhorrere ab ipsorum. Misit epistolam eam ad judæos, quo tempore bellum persicum parabat. In qua de remissione tributorum nonnulla locutus

hortatur, ut pro salute sua et imperio preces ad deum suum potentissimum adhibeant. Tum extremis verbis optat, ut bello persico finito urbem illorum Hierosolyma sibi visere liceat et una cum illis summum numen ibi adorare. (397 C, p. 513, 21 *ἵνα — ἔτι μείζονας εὐχὰς ποιῆσθε (ὑπὲρ) τῆς ἐμῆς βασιλείας τῷ πάντων κρείττονι καὶ δημιουργῷ θεῷ. τῷ καταξιώσαντι στέψαι με τῇ ἀχράντῳ αὐτοῦ δεξιᾷ.* Et paulo infra 398 A, p. 514, 11 — *καὶ ἐν αὐτῇ* (*τῇ πόλει* scil.) *δόξαν δῶ μεθ' ὑμῶν τῷ κρείττονι.*)

Sed, sicut jam dixi, in eo judæos reprehendit, quod præter suum deum neminem esse putarent, aut ceteros deos gentilium esse, falsos scilicet deos, ad se nihil pertinentes. Illam enim tam stultam opinionem barbarorum superbiæ tribuendam esse. (454 A, p. 588, 6 *ἐκεῖνο μόνον ἁμαρτάνειν (μοι δοκοῦσιν) ὅτι μὴ καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς ἀρέσκοντες τούτῳ μάλιστα τὸν θεὸν θεραπεύουσιν. ἀλλ' ἡμῖν οἴονται τοῖς ἔθνεσιν ἀποκεκληρῶσθαι μόνοις αὐτούς. ἀλαζονείᾳ βαρβαρικῇ πρὸς ταυτηνὶ τὴν ἀπόνοιαν ἐπαρθέντες.*)

Iniquum de sacra lege judæorum judicium fecit in libris contra christianos non tam illos reprehendens quam hos, stulte, ut ei videbantur, libros sacros judæorum anteponentes placitis philosophorum græcorum. Sed ne in illis quidem libris adversarios impugnandi studio adductus est, ut vana et falsa esse diceret, quæ in lege judæorum legerentur. Illud ostendere conatur suas de numine divino opiniones summi dei majestate esse digniores. Id quod et passim disputavit et velut in unum comprehensa summa disputationis c. Chr. 148 B & C, p. 187, 10 sqq. Et alio loco: nihil impedit, inquit, quominus magnus sit deus eorum, quamquam viles sunt prophetæ ejus et interpretes. Cujus rei causa est, quod non dederunt mentes suas disciplinis liberalibus excolendas. (295 D, p. 380, 1).

Non possum hoc loco prætermittere, quin locum quendam commemorem ex libris contra christianos, ubi et sibi et aliis persuadere conatur Julianus religionem judæorum antiquitus etiam similiorem fuisse suæ, quam etiamtum esset. Apparet, inquit, ex iis, quæ de Abraham narrat Moses, illum virum et altaria numini ædificasse et de coelo servasse et ex volatu avium auguria petisse, sicut nos facimus. Monuit enim deus Abraham, ut stellas suspiciens numeraret si posset, quid aliud significans quam stellarum velut currentium prodigia? Tum quæ in cap. XV lib. I Mosis narrantur profert, in quo capite scriptum est v. XI "et devolabant in cadavera aves". Ad hoc exemplum illis temporibus interpretabantur sacra scripta non solum Julianus sed etiam doctores qui fuerant ejus christiani. (c. Chr. 356 C, 230, 13 sqq).

